Ionas

DE SOLONE ATHENIENSI.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

ALMAE LITTERARUM ACADEMIAE
MONASTERIENSIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

TRADIDIT

IOSEPHUS JONAS

RHENANUS.

MONASTERII GUESTFALORUM.
EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.
MDCCCLXXXIV.

BERNHARDO NIEHUESIO

S.

I. De Solonis[1]) patria, genere, familia.

Solo[2]) anno a. Chr. n. 639 natus esse videtur. Nam a. 559 Hegestrato archonte mortem obiisse[3]) et usque ad octogesimum aetatis annum vixisse[4]) dicitur Ex nobilissimo Atticae genere ortus est, quippe qui ex Codro et Melantho, regibus Atheniensibus, qui a Nestore Pylio oriundi esse traduntur, originem traheret.[5]) Nomen patri Execestidae fuisse Plutarcho teste omnes veteres auctores consenserunt praeter Philoclem quendam, qui

---

[1]) Fontes praecipui, quibus de Solonis vita et rebus gestis agitur, sunt vitae illae a Plutarcho et Diogene Laertio conscriptae. Quibus cognitionis fontibus Plutarchus in vita Solonis conscribenda usus sit, perscrutati sunt: A. H. L. Heeren, De fontibus et auctoritate vitarum parallel. Plutarchi. Gott. 1820. p. 26—30, M. Haug, Die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der Griechen. Tübingen. 1854. p. 29—37. Accuratius et diligentius hac de re egerunt: R. Prinz, De Solonis Plutarchei fontibus. Diss. Bonn. 8°. 1867, H. Begemann, Quaestiones Soloneae. Spec. I. Diss. Gott. Holtesmindae. 4°. 1875, quorum uterque Plutarchum Hermippi vitas et Didymi librum *„περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος“* secutum esse recte statuit. Plutarchum ex ipsis carminibus Solonis nonnulla hausisse, putant Heeren, l. 1 p. 27; Haug, l. l. p. 29; Prinz, l. l. p. 2 sq. et p. 41; E. Curtius, Griech. Gesch. I⁵. (Berlin 1878) p. 664, n. 117; negant E. de Leutschio, Philol. XXXI. p. 135 sq. et Begemann, l. l. p. 2.

[2]) Alios viros antiquitatis, quibus hoc idem nomen fuit, enumerat Pape-Benseler, Lexikon der griech. Eigennamen, s. v. *Σόλων,* quibus addo Statium Solonem (C. J. L. VII. No. 568) et L. Vallium Solonem (Inscr. regni Neapol. ed. Mommsen No. 6771).

[3]) Phanias ap. Plut. V. Sol. c. 32.

[4]) Diog. L. I. 62.

[5]) Plut. V. Sol. c. 1; Diog. L. III. 1; Suidas s. v. *Πλάτων Ἀρίστωνος* et s. v. *Κοῤῥίδης* (leg. *Κοδρίδης*); Nicet. Chon. L. de rebus post urbem captam gestis p. 772. ed. Bonn. Cfr. Paus. II. 18, 7; Euseb. chron. I. p. 185. ed. Schoene.

illum Euphorionem appellat.[1]) Matrem Solonis et matrem Pisistrati consanguineas fuisse Heraclides Ponticus tradit, illamque propinquitatem primam causam fuisse amicitiae, quae Soloni cum Pisistrato fuerit;[2]) similiter Diogenes Laertius Sosicratem laudans Pisistratum Solonis propinquum vocat.[3]) Solonis frater Dropides fuisse traditur,[4]) qui a. 593 Soloni succedens archon factus est,[5]) cuius filius Critias ille erat,[6]) quem Solo monet, ut patri, optimo duci, obediat:

---

[1]) Plut. V. Sol. 1: *Δίδυμος ὁ γραμματικὸς ἐν τῇ περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος ἀντιγραφῇ πρὸς Ἀσκληπιάδην Φιλοκλέους τινὸς τέθεικε λέξιν, ἐν ᾗ τὸν Σόλωνα πατρὸς Εὐφορίωνος ἀποφαίνει παρὰ τὴν τῶν ἄλλων δόξαν, ὅσοι μέμνηνται Σόλωνος. Ἐξηκεστίδου γὰρ αὐτὸν ἅπαντες ὁμαλῶς γεγονέναι λέγουσιν.* Qui locus in Doehneri editione (Paris 1877) I. p. 94 minus recte latine ita redditur: „Didymus grammaticus in libro de tabulis legum Solonis, qui Axones dicuntur, quo Asclepiadi, Philoclis filio, respondit, Solonis patrem Euphorionem appellat etc. Haud parum enim liquet, verba „*Φιλοκλέους τινός*“ ad „*λέξιν*“ pertinere. Ceterum Solonis patri Execestidae nomen fuisse, etiam tradunt Diodor. Exc. de virt. et vit. p. 551 (IX, 1 ed. Bekk.); Demetr. Phal. ap. Stob. Floril. III, 79; Aelian. V. H. VIII. 16 et ap. Stob. Flor. XXIX. 58; Diog. L. I. 45; Lucian. Dial. mort. XX. 4; Proclus Comm in Plat. Tim. p. 25 f.; Schol. Plat. p. 420 ed. Bekk.; Suidas s. v. *Σόλων;* Cod. Par. 1630 (Anecd. gr. I. p. 144 ed. Boissonade); denique duae inscriptiones C. J. G. No. 6052 et No. 6109.

[2]) Plut. V. Sol. 1: *Τὴν δὲ μητέρα τοῦ Σόλωνος Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἱστορεῖ τῆς Πεισιστράτου μητρὸς ἀνεψιὰν γενέσθαι. Καὶ φιλία τὸ πρῶτον ἦν αὐτοῖς πολλὴ μὲν διὰ τὴν συγγένειαν κ. τ. λ.* Posteriore autem aetate v. quod est *ἀνεψιός* de quovis cognationis gradu nonnumquam adhibitum esse satis constat, quare accuratius, quae cognatio inter Solonem et Pisistratum fuerit, indicare non possumus. Prinzio l. l. p. 32 non assentior, qui dicit, postea, cum quaererent, quibus causis commotus Pisistratus semper comitate atque familiaritate in Solonem usus esset, facile fieri potuisse, ut a veteribus cognatio fingeretur. Nam veteres auctores, si omnino Pisistratum Solonis propinquum fuisse finxissent, propinquiorem cognationem ficturos fuisse arbitror, quam illam ab Heraclida traditam. Cfr. Bohren, Philol. XXX. p. 179 sq.

[3]) I. 49.

[4]) Diog. L. III. 1; Liban. Declamat. vol. IV. p. 448, 26 ed. Reiske; Procl. Comment. in Plat. Tim. p. 25 f.; Suidas s. v. *Πλάτων Ἀρίστωνος,* quos auctores sequuntur Droysen, Rhein. Mus. III. (1835) p. 196; Martin, Etudes sur le Timée de Platon. T. I. (Paris 1841) p. 245 sq.; Th. Bergk, Comm. de reliquiis comoediae Att. antiquae (Lips. 1838) p. 247, cum idem vir doctissimus antea in editione carminum Anacreontis (Lips. 1834) p. 175 Dropidem Solonis fratrem fuisse diserte negasset.

[5]) Philostr. V. Sophist. I. 16, 2 (p. 501 ed. Olear.)

[6]) Plat. Charm. p. 157. e.

Εἰπέμεναι Κριτίῃ ξανθότριχι πατρὸς ἀκούειν
οὐ γὰρ ἁμαρτινόῳ πείσεται ἡγεμόνι. [1])

A Dropide et Critia etiam alter ille Critias, qui unus e triginta tyrannis, qui vocantur, fuit, [2]) et Perictione, mater Platonis, originem habuerunt. [3]) Sed, num Dropides re vera frater Solonis fuerit, ea de causa magnopere dubito, quod Plato ipse, optimus et certissimus eius rei auctor, Dropidem non fratrem, sed propinquum tantum Solonis appellat. In Timaeo enim (p. 20 e.) Critiam ad Socratem ita dicentem facit: *ἦν μὲν οὖν* (sc. *Σόλων*) *οἰκεῖος καὶ σφόδρα φίλος ἡμῖν Δρωπίδου τοῦ προπάππου, καθάπερ λέγει πολλαχοῦ καὶ αὐτὸς ἐν τῇ ποιήσει.* Quodsi illi viri fratres fuissent, Platonem eius rei commemorationem hoc loco vix omissurum fuisse puto. [4]) Certo vero ii scriptores magnopere errant, qui Platonem a Solone per Perictionem ortum esse tradunt. [5])

In nonnullis narrationibus a veteribus auctoribus traditis etiam filii Solonis mentio fit; ac primum quidem Pataecus apud Plutarchum [6]) fusius narrat, Solonem Miletum quondam profectum quod Thales ab uxore ducenda abhorreret, miratum esse. Thaletem tum quidem tacuisse nonnullis autem diebus post hominem

---

[1]) Sol. fragm. 22 in Poet. lyr. gr. ed. Bergk.

[2]) Diog. L. III. 1; Procl. C. in Plat. Tim. p. 25 f; Philostr. l. l.; Liban. Decl. vol. IV. p. 448, 24 sq. Quare Socrates illum etiam Solonis propinquum appellat ap. Plat. Charm. p. 155 a: *Τοῦτο μὲν, ἦν δ' ἐγώ, ὦ φίλε Κριτία, πόῤῥωθεν ὑμῖν τὸ καλὸν ὑπάρχει ἀπὸ τῆς Σόλωνος συγγενείας.* Quae verba tamen minime probant, Solonem fratrem Dropidae fuisse; nam Plato Socratem illa dicentem facere poterat, etiamsi illi viri propinquitate minus arta coniuncti fuissent. Cfr. etiam Plat. Charm. p. 157 e et Bohren, Phil. XXX. p. 181.

[3]) Diog. L.; Procl.; Suidas l. l. l. l.; cfr. Schol. Plat. p. 424 Bekk.

[4]) Fr. Ast, Platons Leben u. Schriften (Lpz. 1816) p. 17, N. Bach, Critiae carm. quae supersunt (Lips. 1827) p. 7, C. Fr. Hermann, Gesch. u. System der platon. Philos. I. (Heidelb. 1839) p. 24 et 93. — Bohren, Beitr. zum Leben Solons. Philol. XXX. p. 180 coniicit, Thrasyllum auctorem illius opinionis falsae esse, qua Dropidem Solonis fratrem fuisse, crediderint.

[5]) Diog. L. Suid. l. l. c. c. Apul. de Plat. eiusque dogm. I. init. Perperam praeterea Olympiodorus in Vita Platonis (init.) Platonem per Aristonem patrem genus ad Solonem retulisse dicit.

[6]) V. Sol. c. 6. Eandem narrationem etiam Tzetzes (Chil. V. 362—375) habet, qui illam, ut multa alia, ex Plutarcho hausisse mihi videtur.

quendam ad eum adduxisse, qui decem diebus ante Athenis se profectum esse diceret et circuitu satis magno usus nuntiaret, Solonis filium mortuum et iam sepultum esse. Quo nuntio cum Solo ad desperationem adductus esset, Thaletem ei ridentem dixisse, ficta esse, quae homo ille narrasset, sed se ipsum a matrimonio et liberis procreandis his rebus deterreri, quae vel ipsum Solonem, virum tam constantem, affligere et sternere possent. Sed ex hac narratione haud efficitur, Soloni filium praematura morte ereptum esse, quoniam Pataecus fabularum scriptor fuisse et ista narratio de Solonis et Thaletis conventu fabularum eius exemplum esse videtur. [1]) Neque illud Dioscoridis narratio probat dicentis, [2]) Solonem quondam filium defunctum deflevisse et cuidam dicenti: „At nihil proficis," respondisse: „At propterea lacrimo, quod nihil proficio." [3]) Nam Diogenes Laertius, apud quem ista scripta legimus, addit, se nil de illo filio Solonis audivisse; praeterea auctori, qui illud apophthegma finxit, illa Pataeci narratio ante oculos obversata esse videtur. Alio loco [4]) Diogenes L. narrat, Anaxagoram filiis mortuis dixisse: „Sciebam, me illos mortales genuisse;" alios autem id dictum ad Solonem, alios ad Xenophontem referre. A plerisque auctoribus illud tribuitur Anaxagorae. [5]) Itaque Soloni filium fuisse e fontibus erui non potest.

De patria Solonis veteres auctores magnopere inter sese dissentiunt. Diodorus [6]) Ephorum secutus [7]) dicit, Solonem fuisse „τὸ γένος ἐκ Σαλαμῖνος τῆς Ἀττικῆς," licet alio loco, [8]) ubi

[1]) Preller, N. Jahrb. f. Phil. u. Pädag. XVII. (1836) p. 178; Welcker, Kleine Schriften II. (Bonn 1845) p. 249 sq.; Bohren, De septem sapientibus. Bonn. 8⁰. 1857. p. 13; R. Prinz, l. l. p. 36.

[2]) ap. Diog. L. I. 63.

[3]) Eadem scripta videmus ap. Stob. Floril. CXXII, 14.

[4]) II. 13. Idem auctor etiam II. 55 hoc dictum Xenophonti attribuit, sed omnes fere ceteri Anaxagorae.

[5]) Cic. Tuscul. III. 14, 30; 24, 58; Aelian. V. H. III. 2, cuius verba repetit Stob. Floril. CVIII, 62; Plut. Consol. ad Apoll. p. 118 (vol. VI, p. 450 ed. Reiske); De tranquill. animi p. 474 (vol. VII, p. 855 R.); Valer. Max. V. 10, ext. 3; Simplic. Comm. ad Epict. enchir. cap. 22.

[6]) Exc. de virt. et vit. p. 551. (IX, 1. ed. Bekk.).

[7]) Rud. Klueber, Ueber die Quellen des Diodor von Sizilien im IX. Buche. 4⁰. Würzb. 1868. Cfr. Philol. Anzeiger I. p. 99 sq.

[8]) I. 96.

ex aliis auctoribus hausit, illum Atheniensem dicat. Deinde Diogenes Laërtius [1]) in Solonis statua hoc distichon inscriptum fuisse tradit:

Ἡ Μήδων ἄδικον παύσασ᾽ ὕβριν, ἥδε Σόλωνα
τόνδε τεκνοῖ Σαλαμὶς θεσμοθέτην ἱερόν,

quare idem auctor I. 45 Solonem Salaminium et I. 46 Salamina patriam eius dicit, eumque sequitur auctor libelli, qui inscribitur: *περὶ ἀπίστων.* [2]) Illi epigrammati non multum quidem tribuendum esse censeo, cum Lobon Argivus epigrammata antiquiorum sapientium in libro primo Diogenis Laërtii tradita ipse finxisse videatur. [3]) Sin genuinum crederem, in statua, quae Salamine Soloni erecta est, insculptum esse statuerem. Nam facile quidem fieri poterat, ut Salaminii gloriarentur, Solonem in ipsorum insula natum esse, quod optime de Salamine meritus est, eiusque cinis in insula sparsus esse putabatur. Accedit, quod Solo Salamine expugnata ibi etiam possessionem dono accepisse videtur; certe Plutarchus narrat quingentos voluntarios paratos fuisse ad Solonem bello contra Megarenses gerendo adiuvandum „*δόγματος γενομένου, τούτους, ἂν κατασχῶσι τὴν νῆσον, κυρίους εἶναι τοῦ πολιτεύματος.* [4]) — Mihi vero Solo in Attica natus esse videtur, cum et plerique rerum scriptores eum Atheniensem dicant, [5]) et

---

[1]) I. 62.

[2]) XXII. (Mythogr. gr. ed. Westermann p. 326, 30).

[3]) Schneidewin, Philol. I. p. 20 sq., cui omnes docti, qui post eum hac de re scripserunt, assentiuntur: Bohren, Philol. XXX. p. 178, n. 2; Hiller, Rh. Mus. N. F. XXXIII. (1878) p. 519; 521; Bergk, Poet. lyr. gr. II[4]. p. 59.

[4]) V. Sol. c. 9. Solonem Salamine natum esse putant, Diodorum et Diogenem secuti: Meursius, Solon (Gronov. Thes. antiquit. gr. V. p. 2005); Stanley, Hist. philos. (Venet. 1731). p. 29; Volney, Chronologie d'Hérodote (Paris 1808) p. 55; Doederlein, Schutz- und Trutzstellen über die alte Gesch. Griechenl. (Philol. Beitr. aus der Schweiz. I. [1819.] p. 12 sq.); Visconti, Iconogr. grecque. I. (Milan 1824). p. 141; Kleine, Quaestiones quaedam de Solonis vita et fragm. Progr. Dusburg. Crefeld. 4⁰. 1832 p. 8 sq. — N. Bach, Sol Ath. carm. quae supersunt. Diss. Bonn. 8⁰. 1825. p. 1, n. 1. rem in suspenso relinquit.

[5]) Herod. I. 29; 86; II. 177; V. 113, Aeschin. c. Ctesiph. § 108; Paus. X. 37, 4; Diod. Sic. l. l.; Cic. de divin. I. 49, 111; de re publ. II. 34, 59; Hygin. Fab. 221 (p. 130 ed. Schmidt.); Diog. L. I. 43; Clem. Alex. Strom. I. 14. § 59, p. 350 Pott; V. 14. § 130, p. 727 P.; Euseb. chron. II. p. 224 ed. Schoene; Athanas. or. c. gentes c. 18; Lucian. Charon 9; 10; Schol. Luc. vol.

ipse Athenas patriam suam vocet;[1]) idem quod etiam multo gravius esse videtur, Athenienses ad bellum Megarense exhortans, non Salaminium se esse dicit, sed Atheniensem se esse praedicat exclamans:

Εἴην δὴ τότ᾽ ἐγὼ Φολεγάνδριος ἢ Σικινίτης
ἀντί γ᾽ Ἀθηναίου, πατρίδ᾽ ἀμειψάμενος,[2])

quae quidem haud facile dicturus fuisset, si omnino in insula aliqua natus esset, quoniam Pholegandrum et Sicinum duas insulas e numero Cycladum fuisse constat. Etiam hoc mihi dignum videtur, quod commemoretur, in duabus inscriptionibus Solonem Atheniensem dici;[3]) altera legitur in herma sine capite reperto in villa Cassii Tiburtina una cum hermis Biantis, Thaletis, Cleobuli, Periandri, Pittaci; altera in herma musei Borgiani Velitris, in quo olim capita Solonis et Euripidis iuncta erant; ibi Euripides quidem Salaminius, Solo vero Atheniensis vocatur. Simul autem ille hermes docet, quam arte Solo iudicio veterum cum Salamine coniunctus fuerit.

Solonem liberaliter institutum esse educatione doctrinaque puerili Diodorus diserte testatur his verbis: *κατὰ τὴν τοῦ παιδὸς ἡλικίαν παιδευταῖς ἐχρήσατο ἀρίστοις·*[4]) idem etiam carmina ab eo condita et res ab eo gestae satis superque probant. Ceterum

---

IV. p. 137 ed. Jacobitz; Schol. Dion. Chrysost. (Boissonade ad Marin. p. 99); Schol. Plat. p. 420 ed. Bekk; Themist. or. 18, p 270 ed. Dind; Augustin. de civit. Dei XVIII. 25; Theophil. ad Autol. III. § 22; Epist. Pseudo-Anarcharsidis (Epistologr. gr. ed. Hercher p. 103; 105); Auson. De VII. sap. Carm. 301, v. 1; Carm. 316, 7 (p. 252 ed. Souchay); Syncell. Chronogr. vol. I. p. 454 ed. Bonn; Stob. Floril. III. 79, 2; XXIX. 58; Suidas s. v. *Σόλων;* s. v. *Κροῖσος;* Eudocia 903. p. 651 ed. Flach; Cantacuz. Hist. IV. 13 (vol III. p. 87 ed. Bonn.); Etymol. M. s. v. *Σόλοι*; Cod. Vatic. DCCXI (Stob. Floril. IV. p. 296 ed. Meineke); Cod. Paris. 1630, (Anecdota gr. I. p. 136; p. 144 ed. Boissonade). — Apollinaris Sidonius (Carm. XII., v. 47) Solonem Atticum vocat. Etiam auctor libelli, qui inscribitur: „*τὰ θέατρα καὶ διδασκαλεῖα τῶν Ἀθηνῶν*“ domum Solonis commemorans sic mihi ostendere videtur, se illum Atheniensem ducere.

[1]) Fragm. Sol. 32 ed. Bergk.

[2]) Fragm. Sol. 2 B.

[3]) C. J. Gr. No. 6109; 6052. Tertia quaedam inscriptio probat, Medontidas Athenis fundum possedisse (C. J. Att. I. No. 497).

[4]) Exc. de virt. et vit. p. 551. (IX. 1 ed. Bekk.)

illum e numero civium modice locupletum fuisse, Aristoteles [1]) ita memoriae prodidit: *Σημεῖον δὲ δεῖ νομίζειν καὶ τὸ τοὺς βελτίστους νομοθέτας εἶναι τῶν μέσων πολιτῶν. Σόλων τε γὰρ ἦν τούτων· (δηλοῖ δ' ἐκ τῆς ποιήσεως·) καὶ Λυκοῦργος κ. τ. λ.* Quin etiam a nonnullis rerum scriptorum inferioris aetatis Solo in numero pauperum refertur, [2]) qua in re autem illi mihi errasse videntur illum Aristotelis locum et quosdam Solonis versus non recte intelligentes. Neque dubito, quin fides non habenda sit iis, quae Plutarchus ex Hermippo hauriens narret: [3]) Execestidem pecuniam ad beneficentiam tam liberaliter contulisse, ut rem familiarem valde dimінueret, nec tamen Soloni defuisse amicos, paratos ad necessaria ei suppeditanda; illum vero, quod ipsius gens solita esset adiuvare, non adiuvari, eorum auxilium accipere noluisse, sed adolescentem mercaturam fecisse. Quam narratiunculam nimiae liberalitatis Execestidae si fictam esse statuo, haud vereor, ne quis me temeritatis arguat; nam nec Hermippus auctor gravis est, nec homines facile tantopere modum beneficentiae excedunt, ut liberi postea inopia premantur; praeterea Diogenes L. I. 45 de Solone tradit: *ἑπτὰ δὴ ταλάντων ὀφειλομένων αὐτῷ πατρῴων συνεχώρησεν.* [4]) Quare suspicor, etiam hanc alteram Hermippi narrationem, Solonem paupertate coactum adolescentem mercaturam fecisse, fictam esse. Nam inter veteres quoque auctores fuerunt, qui Solonem minus quaestus lucrique faciendi quam cognitionis scientiaeque augendae causa itinera fecisse contenderent; [5]) deinde sine dubio idem Hermippus, qui Soloni hereditate haud multa bona obvenisse putavit, altero loco tradidit, eum ante leges latas sive quinque sive septem sive quindecim talenta pauperibus mutua dedisse; [6]) itaque ille auctor mihi coniecisse videtur, Solonem illam

---

[1]) Polit. IV. 11. cfr. Plut. V. Sol. c. 1: *Ἐξηκεστίδου γὰρ αὐτὸν ἅπαντες ὁμαλῶς γεγονέναι λέγουσιν, ἀνδρὸς οὐσίᾳ μέν, ὥς φασι, καὶ δυνάμει μέσου τῶν πολιτῶν, οἰκίας δὲ πρώτης κατὰ γένος.*

[2]) Plut. V. Sol. c. 3; Lucian. Scytha, c. 5.

[3]) V. Sol. c. 2.

[4]) Solonis gentem fundum prope arcem possedisse inscriptione lapidis termini ante introitum arcis eruti satis probari (C. J. Att. I. No. 497) iam supra breviter commemoravi.

[5]) Plut. l. l.

[6]) Plut. V. Sol. c. 15; Diog. L. I. 45.

pecuniam mercatura collegisse. Denique etiam valde dubito, num Solo, antequam archon factus est, omnino itinera fecerit, coniiciens huius narrationis sacerdotes Aegyptiorum primos auctores fuisse, qui Solonem nonnullas leges ex Aegypto repetivisse gloriabantur.[1]) Imprimis Solo legem de punienda desidia inde Athenas transtulisse fertur, quam ibi Amasis tulisse traditur.[2]) Atqui ab Amasi Solo illam legem discere non potuit, quoniam ille rex circiter a. a. Chr. n. 570 regnare coepit, quo tempore Solo leges suas iam tulerat. Praeterea illa lex de desidia multanda iam a Dracone lata, eius severitas autem a Solone mitigata esse videtur.[4]) Neque magis ad persuadendum accommodata sunt, quae Diodorus dicit, Solonem ab Aegyptiis etiam didicisse legem illam vetantem obaeratos in servitutem vendi,[5]) quam legem ille in Aegyptum non profectus certe ferre poterat. Itaque quemadmodum Aegyptii Orpheum et Homerum apud ipsos fuisse finxerunt,[6]) ita etiam

---

[1]) Herod. II. 177; Diod. I. 77; 79; cfr. I. 69; 96; Ammian. Marcell. XXII. 16, 22, quos auctores sequitur Lepsius, Chonol. der Aegyptier I. (Berl. 1849) Introd. p. 49.

[2]) Herod. II. 177; Diod. I. 77.

[3]) Duncker, Gesch. des Altert. II[4]. p. 566.

[4]) Apud Herod. l. l. hac de re ita scriptum invenimus: *νόμον δὲ Αἰγυπτίοισι τόνδε Ἄμασίς ἐστι ὁ καταστήσας, ἀποδεικνύναι ἔτεος ἑκάστου τῷ νομάρχῃ πάντα τινὰ Αἰγυπτίων ὅθεν βιοῦνται, μὴ δὲ ποιεῦντα ταῦτα μηδὲ ἀποφαίνοντα δικαίην ζόην ἰθύνεσθαι θανάτῳ. Σόλων δὲ ὁ Ἀθηναῖος λαβὼν ἐξ Αἰγύπτου τοῦτον τὸν νόμον Ἀθηναίοις ἔθετο, τῷ ἐκεῖνοι ἐς αἰεὶ χρέονται (χρέωνται?), ἐόντι ἀμώμῳ νόμῳ.* Diod. Sic. I. 77. tradit: *προσετέτακτο δὲ καὶ πᾶσι τοῖς Αἰγυπτίοις ἀπογράφεσθαι πρὸς τοὺς ἄρχοντας ἀπὸ τίνων ἕκαστος πορίζεται τὸν βίον καὶ τὸν ἐν τούτοις ψευσάμενον ἢ πόρον ἄδικον ἐπιτελοῦντα θανάτῳ περιπίπτειν ἦν ἀναγκαῖον. λέγεται δὲ τοῦτον τὸν νόμον ὑπὸ Σόλωνος παραβαλόντος εἰς Αἴγυπτον εἰς τὰς Ἀθήνας μετενεχθῆναι.* Diog. L. I. 55 autem haec habet: *καὶ ὁ ἀργὸς ὑπεύθυνος ἔστω παντὶ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι. Λυσίας δ' ἐν τῷ κατὰ Νικίου* (leg. videtur *Νικίδου* cfr. Roeper, Philol. III. p. 40) *Δράκοντά φησι γεγραφέναι τὸν νόμον, Σόλωνα δὲ τεθεικέναι.* Plut. V. Sol. c. 17 Draconem inertiam capitis poena proposita prohibuisse dicit; Theophrastus autem (ap. eundem V. Sol. c. 31) illam legem de inertia punienda a Pisistrato sancitam esse tradit. Verum fortasse apud Poll. (Onomast. VIII. 42) scriptum legimus: *τῆς δὲ ἀργίας ἐπὶ μὲν Δράκοντος ἀτιμία ἦν τὸ τίμημα· ἐπὶ δὲ Σόλωνος, εἰ τρίς τις ἁλῴη, ἠτιμοῦτο.*

[5]) I. 79.

[6]) Diod. I. 69.

illa narratio, qua Solonem ab ipsorum maioribus, priusquam leges tulisset, multa didicisse tradiderunt, nihil aliud mihi esse videtur, nisi mera venditatio atque ostentatio; equidem vix dubito, quin Solo non prius in Aegyptum profectus sit, quam leges tulerit. Quod si probaveris, facile etiam intelliges, quomodo factum sit, ut veterum auctorum alii Solonem lucri faciendi alii scientiae augendae causa adolescentem illa itinera suscepisse tradiderint.[1]) Quaerebant enim, cur illo tempore peregrinatus esset, quo mihi vitam domi egisse videtur; itaque mirum non est, eos de causis ab ipsis excogitatis dissensisse.[2])

Illo autem tempore, quo falso mercaturam fecisse dici videtur, Solo iam artem poëticam attigit, quae in variis aetatis gradibus varii generis fuit, ita ut eius carmina quodammodo imago variorum vitae eius temporum essent. „Poëtica, ait enim Plutarchus,[3]) initio non ad ullam rem gravem usus esse videtur sed ludens seque oblectans. Postea etiam sententias philosophicas metro adstrinxit et multa, quae ad rem publicam pertinent, versibus intexuit non tam historiae scribendae causa quam ad res ab ipso gestas defendendas, interdum etiam ad adhortandos, monendos, castigandos Athenienses“. Numerum versuum a Solone omnino conditorum magnum fuisse, Diogenes Laërtius tradit; dicit enim: *γέγραφε δὲ δῆλον μὲν ὅτι τοὺς νόμους καὶ δημηγορίας καὶ εἰς ἑαυτὸν ὑποθήκας, ἐλεγεῖα, καὶ τὰ περὶ Σαλαμῖνος καὶ τὴς Ἀθηναίων πολιτείας ἔπη πεντακισχίλια, καὶ ἰάμβους καὶ ἐπῳδούς.*[4]) Sane Lobon Argivus numeros versuum, quos veteres

---

[1]) Plut. V. Sol. c. 2

[2]) Cfr. Begemann, Quaest. Sol. I. p. 6.

[3]) V. Sol. c. 3. Minus recte igitur Justinus II. 7 Solonem „versibus sibi insolitis“ cives ad bellum Megarense excitavisse dicit. Illa verba Plutarchi autem ita intelligenda non sunt, quasi Solo postea alia carmina non conscripserit, nisi quae ad rem publicam pertineant; nam fragm. 18, 19, quae, postquam archon fuit, condidit, de aliis rebus agunt.

[4]) I. 61. Quoniam „*ὑποθῆκαι εἰς ἑαυτόν*“ (— cur ita dictae sint exponit Bernays, Philons Hypothetica, Monatsber. der Kgl. preuſs. Akad. der Wiss. zu Berlin 1876. p. 592 sq. —) elegiae sunt, recte Bernhardy, Lit-Gesch. II³. 1. p. 514 dicit, Diogeni ita scribendum fuisse: *καὶ ἐλεγεῖα τὰς εἰς ἑουτὸν ὑποθήκας καὶ τὰ περὶ Σαλαμῖνος καὶ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας.* Suidas et Eudocia s. v. *Σόλων:* *ἔγραψε*, inquiunt, ... *ποίημα, ὃ Σαλαμὶς ἐπιγράφεται, ὑποθή-*

sapientes scripsisse memoriae prodidit, magnam partem finxisse videtur;[1]) sed de Solonis carminibus multa mentiri non potuit, quoniam haec sine ulla dubitatione in librum congesta erant. Nam, Plato testatur,[2]) Solonis carmina Athenis certe aliquamdiu diebus festis a pueris recitata esse, et Aristides orator[3]) ait: *ὁ δὲ Σόλων καὶ βιβλίον ἐξεπίτηδες πεποίηκεν, ὥςπερ ἡμεῖς εἰς τὴν Ἀθηνᾶν, οὕτως ἐκεῖνος εἰς αὑτὸν καὶ τὴν ἑαυτοῦ πολιτείαν.* Videntur igitur illa carmina ab Atheniensibus magni aestimata esse. Praeterea Plato in Timaeo[4]) iudicium de indole poëtica Solonis facit, cum ille auctor ibi Critiam narrantem inducat, se puero quondam Curiotide die,[5]) quo a pueris Solonis carmina cantata sint, Amynandrum quendam avo suo dixisse, Solonem et in ceteris rebus sapientissimum extitisse et in poësi omnium poëtarum liberalissimum; quamquam Critias huic laudi caute ibi haec verba praemittit: *εἴτε δὴ δοκοῦν αὐτῷ τότε εἴτε καὶ χάριν τινὰ τῷ Κριτίᾳ φέρων.* Cui Critiam avum, Dropidae filium, auctor sic respon-

---

κας δι᾽ ἐλεγείων, καὶ ἄλλα. Cfr. Schol. Plat. p. 420 ed. Bekk. Negligendum est, quod Schol. ad Hom. Il. XVII. 265 (vol. II. p. 138 ed. Dind.) ita tradit: *Σόλωνά φασι τὸν νομοθέτην, μιμησάμενον τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἐν ἅπασιν, ἐνθάδε γενόμενον καὶ προσσχόντα τῷ στίχῳ σφόδρα κατ᾽ ἐνεξίαν ἐπιτετευγμένῳ διαπορῆσαι, καὶ θαυμάσαντα κατακαῦσαι πάντα τὰ ἴδια σκέμματα.* — Chr. Heinecke (Homer und Lykurg. Lpz. 1833. p. 28) Solonem in carminibus se ad veterem Orphicorum poesin mysticamque theologiam applicuisse putat dicens: Pisistratus hat an die Stelle solonischer Rhapsodien die, — man kann dies schon aus der kurzen und bedeutsamen Notiz Herodorts (V. 113) schliefsen, — eine andere Tendenz hatten und höchst wahrscheinlich im Geiste mystischer, orphischer Theologie abgefafst waren, die homerische Poesie gesetzt. Sed mihi ex illo loco Herodoti nihil aliud concludi posse videtur, nisi aetate Herodoti vocem „*ἔπη*" non solum de carmininibus heroico metro conscriptis adhibitam esse, sed etiam carmina elegiaco metro condita significasse. Cfr Ulrici, Gesch. der hell. Dichtkunst. II. (Berl. 1835) p. 103 n. 200; p. 177 n. 129; Baehr. ad Herod. V. 113; Nicolai, Griech. Literaturgesch. I². (Magdeburg 1873) p. 91.

1) Hiller, Die literar. Thätigk. der 7 Weisen. (Rhein. Mus. N. F. XXXIII. p. 520 sq.).

2) Tim. p. 21 b; cfr. de Leutsch. Philol. XXXI. p. 136.

3) or. 49. (vol. II. p. 536 ed. Dind.)

4) p. 21. b.

5) Curiotis tertius Apaturiorum dies erat. Schoemann, Griech. Altert. II³. (Berl. 1873) p. 548.

dentem facit: „Nisi, Amynander, subsicivo tantum studio (Solo) artem poëticam attigisset, sed sicut alii se totum illi studio dedidisset et historiam, quam ex Aegypto attulit, ad finem perduxisset neque seditionibus aliisque calamitatibus, quibus redux patriam perturbatam vidit, coactus esset, illius studium negligere, mea quidem sententia, neque Hesiodus neque Homerus neque alius quisquam poëtarum illo clarior factus esset.“ [1]) Quamquam hoc loco Plato maxime pulchritudinem fabulae Atlanticae laudat, tamen etiam indoli poëticae propinqui sui tantam laudem tribuit, quantam equidem reliquiis carminum illius conservatis tribuendam non esse censeo; nam in illis fragmentis minus volucrem animi motum admiror, quo summi poëtae excellunt, quam viri sapientis iudicium rectum ac iustum; quamquam haud nego, in nonnullis carminibus magnam verborum et sententiarum gravitatem elucere. [2]) Praeterea ex iis multa discimus, quae ad res Athenienses historiamque illius temporis pertinent, simulque ibi animum ingeniumque Solonis ipsius ex optimo certe fonte noscimus. Quare quisquis antiquitatis graecae studia urget illis fragmentis perlectis dolebit, non omnia Solonis carmina servata esse. [3])

Accuratius de Solonis carminibus agere non huius loci est, sed historiae litterarum graecarum.

---

[1]) Cfr. Aeschin. c. Ctesiph. § 108: *Σόλωνος . . . . ἀνδρὸς . . . περὶ ποίησιν καὶ φιλοσοφίαν διατετριφότος.*

[2]) cfr. fragm. 1—3; 36. B.

[3]) Solonis carmina in multis collectionibus veterum poëtarum graecorum inveniuntur, optime edita sunt a Th. Bergkio, Poet. lyr. gr. II[4]. (Lips. 1882) p 34—62; (cfr. p. 520 sq.). De Solone poeta consuli possunt: N. Bach, Sol Ath. carm. quae supersunt. Diss. Bonn. 1825. 8°. E. de Leuschio, zu Solons Elegien (Philol. XXXI. p. 129 sq.) Sitzler, Solon als Dichter. Progr. Tauberbischofsheim 1880. 4°. H. Ulrici, Gesch. der hellen. Dichtkunst II. p. 433 sq.; G. Bernhardy, Grundriſs der griech. Lit. II[3]. 1. p. 509 sq.; Müller-Heitz, Gesch. der griech. Lit. I[3]. 194 sq.; 236 sq.; R. Nicolai, Griech. Lit. I[2]. 1. p. 96; Th. Bergk, Griech. Literaturgesch. II. (Berl. 1883) p. 264 sq.; C. Sittl, Gesch. der griech. Literatur bis auf Alexander den Groſsen I. (München 1884) p. 257 sq.

II. De rebus a Solone ante leges latas gestis.

Primum Solo optime de re publica Atheniensium meritus esse videtur eo, quod cives excitavit ad bellum cum Megarensibus renovandum, quo Salamina expugnarent. In quam insulam non multo ante bellum Troianum Aeginetici coloni deducti erant, inter quos Telamon Cychreo regi, cuius filiam in matrimonium duxerat, postea in regno successisse traditur.[1]) Etiam aetate Codri, quo Megaris pars Atticae erat, Salamis sui iuris fuisse videtur.[2]) Dubium est, utrum Athenienses an Megarenses primi ea insula potiti sint; certe argumenta, quibus Solo postea in iudicio Lacedaemoniorum probare studuit, eam iam Atheniensium fuisse, antequam causa certaminum inter illos et Megarenses facta sit, quantum quidem nobis tradita sunt, firmissima non sunt.[3]) Sed quoniam Theagenes, Megarensium tyrannus, Cyloni genero milites misit, quibus arcem Athenarum fraude occuparet,[4]) satis verisimile mihi esse videtur, Theagenem illo tempore[5]) Salamina occupasse, ut Cylonem vel adiuvaret vel ulcisceretur, simulque ut opes suas hac occasione data valde augeret. Colonis Megaricis a Theagene in insulam occupatam missis Athenienses domestica discordia debilitati frustra iterum atque iterum conati sunt, ut

[1]) Paus. I. 35, 2; Diod. IV. 72. De antiquis fabulis, quae ad Salaminis insulae historiam pertinent, cfr. Zeitschr. f. d. Altertumswiss. I. (1843) p. 609 sq.

[2]) Strab. IX. 1, 11 (p. 395. C.).

[3]) Sane Demosthenes or. XIX. § 251 ait: ἀφεστηκυίας Σαλαμῖνος. Sed Athenienses affirmare, insulam ante bellum iam sub ipsorum potestate fuisse, consentaneum est. Bursian, Geographie v. Griechenl. I. (Lpz. 1862) p. 363 et Begemann, Quaest. Sol. II. (Progr. Allenst. 1878. 4°) p. 15 coniiciunt, Salaminios non per Athenienses primum libertate privatos esse, sed per Megarenses, quibuscum Athenienses deinde de insula contenderint.

[4]) Thuc. I 126; Schol. Aristoph. Eq. 443 (p. 53 ed. Bekk). — Constat Cylonem arcem Athenarum inter sacra Olympia post Ol. 35 (Euseb. chron. I. p. 198 ed Schoene), ante Pisistrati aetatem (Herod. V. 71) occupasse; probabiliter autem ista seditio post Draconem archontem facta est, quare in a. a. Chr. n. 620 vel 616 vel 612 collocanda esse videtur.

[5]) E. Curtius, Griech. Gesch. I⁵. p. 309; Duncker, Gesch. d. Alt. VI³. p 134 sq.; Bohren, Philol. XXX. p. 184; C. Grundner, Quo tempore et quo duce bellum Salaminium gestum sit, demonstratur. Diss. Jen. 8° 1875. p. 3.

Salamina e manibus hostium eriperent, cum Megarenses Theagene tyranno florerent et belli navalis illis peritiores essent et probabiliter etiam maiorem numerum navium haberent. Quare multis cladibus acceptis Athenienses victi tandem bello destiterunt et omni spe insulae expugnandae deiecti lege sanxerunt, ut si quis cives ad bellum illud cum Megarensibus renovandum exhortatus esset, capitis damnaretur. Quae lex rei publicae Atheniensium tantae ignominiae erat, ut, nisi veterum auctorum testimonia satis probarent,[1]) eam latam esse vix crederemus.[2]) Theagenes enim Salamina in potestate sua tenens facile, quotiescunque volebat, magnam partem litoris Attici obsidione premere, piscationes et negotiationes maritimas Atheniensium valde impedire, eos commeatu frumenti et metallorum magnam partem intercludere poterat. Itaque Athenienses, si Salamis in ditione Megarensium mansisset, numquam in tantas opes crescere potuissent, quantas postea aliquamdiu habebant. Quamobrem multi Athenienses, imprimis iuvenes, insulam a Theagene occupatam aegerrime pertulerunt neque tamen capitis poenam veriti legem de bello redintegrando ad populum ferre ausi sunt. Tunc solus Solo publicum bonum suae saluti anteponens vitam suam in discrimen committere[3]) et animos civium ad contumeliam, qua res publica affecta esset, abluendam insulamque expugnandam inflammare statuit. Non pauci rerum scriptores inferioris aetatis tradunt, eum, quo poenam capitis lege sancitam effugeret, se furere simulasse.[4]) Quod tamen

---

[1]) Demosth. XIX, 252; Plut. V. Sol. c. 8; Aristid. or. 37 (vol. I. p. 708 ed. Dind.); Diog. L. I. 46; Polyaen. Strat. I. 20, 1; Justin. II. 7. — Megarenses etiam Pausaniae temporibus in templo Jovis aeneum rostrum triremis servabant, quam in pugna quadam navali illius belli captam esse dicebant. (Paus. I. 40, 4).

[2]) Prinzium, qui l. l. p. 3 sq., Athenienses talem legem tulisse, verisimile non esse censet, refutat Begemann, Quaest. Sol. II. p. 6. Cf. tamen Sittl, Gesch. der griech. Lit. I. p. 527.

[3]) Demosth. l. l. τὸν ἴδιον κίνδυνον ὑποθείς.

[4]) Philodem., de mus. col. XX., 18 sq.; Cic. de off. I. 30, 108; Plut. V. Sol. c. 8; Comp. Sol. et Popl. c. 4; Diog. L., Polyaen., Justin. l. l. c. c.; Procl. C. in Plat. Tim. p. 25 d; Liban. (vol. IV. p. 391, 19; 322, 15 ed. Reiske). Fortasse homo quidam doctus, ut illam fabulam insaniae simulatae fingeret, ea re adductus est, quod Solo elegiam, qua ad bellum renovandum cives hortatus est, pileatus, tamquam praeco Salamine veniens, recitasse fertur.

a vero abhorrere mihi videtur; nam nec Demosthenes de bello illo per Solonem renovato loquens[1]) insaniae simulatae mentionem facit, nec ista simulatio tanto viro digna esse videtur, nec ea, cum re vera minime insanus haberetur, quidquam proficere poterat.[2]) Quemadmodum autem Tyrtaeus Lacedaemoniorum animos carminibus ad bellum contra Messenios fortiter gerendum inflammaverat, ita etiam Solo cives ad bellum contra Megarenses renovandum accensurus elegiam centum versuum condidit, quae postea Salamis inscribebatur, quod carmen venustissime conditum esse Plutarchus testatur.[3]) Apud eundem rerum scriptorem scriptum videmus, illum deinde pileatum in forum ivisse[4]) et ingenti con-

---

[1]) l. l.

[2]) Cfr. Bohren, Beitr. zum Leben Solons, Philol. XXX. p. 185; E. de Leutsch., Philol. XXXI. p. 137; Duncker VI³. p. 144. n. 3; Sittl, Gesch. der griech. Lit. I. p. 257.

[3]) V. Sol. c. 8; cfr. Paus. I. 40, 4; Diog. L. I. 61; Polyaen. Strat. I. 20; Suidas et Eudocia s. v. *Σόλων*. — Aristides or. 46. (vol. II. p. 279 ed. Dind.) verbis, quae sunt: „*τὰ εἰς Μεγαρέας ἔχοντα ᾆσαι λέγεται*“ non titulum carminis memorat, sed contra quam civitatem conscriptum sit dicit.

[4]) V. Sol. c. 8: *Ἐλεγεῖα δὲ κρύφα συνθεὶς καὶ μελετήσας, ὥστε λέγειν ἀπὸ στόματος, ἐξεπήδησεν εἰς τὴν ἀγορὰν ἄφνω πιλίδιον περιθέμενος. Ὄχλου δὲ πολλοῦ συνδραμόντος ἀναβὰς ἐπὶ τὸν τοῦ κήρυκος λίθον ἐν ᾠδῇ διεξῆλθε τὴν ἐλεγείαν κ. τ. λ.* Dig. L. I. 46, quamvis dubium non sit, quin et ipse ex Hermippo, ut Plutarchus, hauserit, tamen haec habet: *στεφανωσάμενος εἰσέπαισεν εἰς τὴν ἀγοράν·* denique Justinus II. 7 ait: Deformis habitu, more vecordium in publicum evolat. Accedit, quod vox „*πιλίδιον*“ in veteribus codicibus, qui Plutarcheum Solonem continent, non legitur, sed coniectura Bryani est, quae tamen viris doctis probatur. Neque enim probabile mihi videtur, quod Bohren (Philol. XXX. p. 184) coniicit, Plutarchum „*στέφανον πρίνινον*“ scripsisse. Pileo autem praeter quosdam alios et aegroti et peregrinantes utebantur (Becker, Charicles II. p. 126; 360 sq) Illos e recentioribus auctoribus, qui Solonem se furere simulasse putant, consentaneum est, de aegrotantium pileo cogitare, opinantes, Solonem illud aegrotantium tegumentum eo consilio capiti imposuisse, ut demens haberetur, cum is, qui illo tectus in medium processisset, tamquam elusis custodibus, non pro insano haberi non potuisset. (Westermann ad Plut. V. Sol. c. 8; cfr. Schoene, Hermes VI. p. 125). Sed cum Solonem insaniam simulasse incredibile sit, pileum peregrinantium sibi imposuisse videtur velutsi Salamine tum revertisset, (Prinz, De font. Plut. Sol. p. 5; Ostermann, De praeconibus Graec. Diss. Marb. 1845. p 96 n. 1) id quod confirmari videtur et loco, e quo populum ad bellum renovandum adhortatus esse traditur et primo versu elegiae ad illum finem recitatae, in quo se praeconem Salamine redire

cursu populi facto e suggestu praeconis versus illos elegiacos cantasse,[1]) quorum initium hoc fuerit;

Αὐτὸς κῆρυξ ἦλθον ἀφ' ἱμερτῆς Σαλαμῖνος
κόσμον ἐπέων ᾠδὴν ἀντ' ἀγορῆς θέμενος.[2])

---

fingit. Illum omnino pileum oapiti impositum habuisse, negat E. de Leutsch. (Philol. XXXI, p. 137), quem sequuntur Begemann. Quaest. Sol. I. p. 10 et Grundner, l. l. p. 6. Fieri quidem poterat, ut aliquis veterum auctorum exordio elegiae Solonis deceptus fingeret, illum pileo tectum in suggestum praeconis ivisse; sed magis mihi arrident, quae Duncker VI³. p. 144, n. 2 hac de re disserit. — Diogeni Laert., qui a ceteris auctoribus, quos supra commemoravi, dissentiens — fortasse deceptus v. „*κῆρυξ*" in exordio elegiae — dicit, praeconem a Solone iussum esse elegiam recitare, fidem non habeo, cum praeco id facere haud facile ausus esset, et exordio grandiloquo omnis vis adimeretur. Bernhardy, Gesch. der griech. Lit. II³. 1. p. 469 Diogenis verborum superfluam rationem habuisse videtur haec scribens: „Solon trug für einen politischen Zweck das elegische Gedicht Salamis öffentlich statt einer Volksrede vor; er sprach sie gesangähnlich und nutzte den Schein poetischer Exaltation, bis er sein Publikum bewog, den Rest oder das Ganze durch den Herold sich vorlesen zu lassen." Alio loco (p. 514) autem ait: „Die Elegie (Salamis) war durch einen Mimus eingeführt, aber die Lesung und Verbreitung des Gedichts entschied den Erfolg." Neque hoc neque illud verisimile est. Prinz, l. l. p. 4; Leutsch, Philol. XXXI. p. 138. Quare Demosthenem, Plutarchum, Aristidem, Polyaenum, Justinum, qui omnes Solonem elegiam cantasse dicunt, secutus illum ipsum hoc carmen publice recitasse puto. Pausanias I. 40, 4 generatim scribit: *Σόλωνα δέ φασιν ὕστερον ἐλεγεῖα ποιήσαντα προτρέψαι σφᾶς κ. τ. λ.*

[1]) Bernhardy, l. l. II³. 1. p. 469 haec habet: Diese Dichtung (der Elegie) gestattete nur einfache Recitation, höchstens vertrug sich ihr Ton mit einem Präludium oder Nachspiel der Flöte; man vermifst aber ein klares Zeugnis. Cfr. Müller-Heitz, Gesch. der griech. Lit. I³. p. 178. n. 14. Veteres quidem auctores (Demosth. XIX. 252; Aristides or. 46 [vol. II. p. 361. Dind.]; Plut. V. Sol. c. 8; Polyaen. Strateg. I. 20, 1) Solonem elegiam cantasse tradunt; sed verbis „*ἐλεγεῖα ᾄδειν*" certa loquendi formula contineri videtur, quare eam nimis premendam non esse censeo. Certe apud Athenaeum XIV. 32 (p. 632 d.) ita scriptum videmus: *Ξενοφάνης δὲ καὶ Σόλων καὶ Θεόγνις καὶ Φωκυλίδης, ἔτι δὲ καὶ Περίανδρος ὁ Κορίνθιος ἐλεγειοποιὸς καὶ τῶν λοιπῶν οἱ μὴ προσάγοντες πρὸς τὰ ποιήματα μελῳδίαν ἐκπονοῦσι τοὺς στίχους τοῖς ἀριθμοῖς καὶ τῇ τάξει τῶν μετρῶν κ.τ.λ.* Cfr. tamen Bergk-Hinrichs, Griech. Literaturgesch. II. p. 130 sq.; Sittl, l. c. I. p. 245 sq.

[2]) Hoc distichon non exordium illus elegiae fuisse neque a Solone dictum sed postea sive a Solone in quodam carmine, quo ad Salaminiam elegiam respiceret, sive ab aliquo alio versificatore conditum esse arbitrantur Niebuhr, Vorlesungen zur alten Gesch. I. p. 343; Leutsch., Phil. XXXI. p. 137; Grundner

Cum praeter duos hos versus sex tantum alii exstent, argumentum elegiae non plane novimus; hoc autem constat, illum civibus exprobrasse, quantae contumeliae, quantoque detrimento Salamis amissa civitati esset; exclamat enim, nisi insulam expugnare vellent, fore ut se puderet Atheniensem esse:

Εἴην δὴ τότ᾽ ἐγὼ Φολεγάνδριος ἢ Σικινίτης
ἀντί γ᾽ Ἀθηναίου, πατρίδ᾽ ἀμειψάμενος·
αἶψα γὰρ ἂν φάτις ἥδε μετ᾽ ἀνθρώποισι γένοιτο·
Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλαμιναφετῶν.

Denique acriter cives cohortatur, ut audacter bellum renovarent:

Ἴομεν εἰς Σαλαμῖνα μαχησόμενοι περὶ νήσου
ἱμερτῆς, χαλεπόν τ᾽ αἶσχος ἀπωσόμενοι.

(Fragm. Sol. 1—3. B.)

In illa elegia magnam vim fuisse et ipsi pauci versus adhuc servati probant et effectus, qui illam recitatam subsecutus est. Multorum enim civium animis iam accensis amici Solonis et fortasse etiam alii, qui iam dudum occasionem arma contra Megarenses capiendi quaesierant, illud carmen laudare ausi [1]) populum etiam magis inflammarunt, ita ut lege illa turpi et civitate indigna neglecta bellum renovaretur.

Plutarchus, [2]) Polyaenus, [3]) Diogenes L., [4]) Aelianus [5]) testantur, Solonem ducem expeditionis factum Megarensibus insulam eripuisse. Qua autem ratione id perfecerit, iam illorum auctorum temporibus non plane certum erat. Plutarchus hanc narrationem in ore vulgi fuisse dicit: Solonem cum Pisistrato ad Coliadem promontorium navigasse, ubi mulieres Athenienses Cereri sacra facerent, et inde hominem fidum, qui se transfugam esse simularet, Salamina misisse Megarenses moniturum, si nobiles Atheniensium matronas capere vellent, cum ipso statim ad Coliadem pro-

---

l. l. p. 6; Begemann, l. l. II. p. 5 sq., quorum argumenta tamen mihi quidem illud persuadere non possunt.

[1]) Errat Plutarchus dicens illam elegiam maxime a Pisistrato laudatam esse.

[2]) V. Sol. c. 8—9.

[3]) I. 20, 2.

[4]) I. 46.

[5]) VII. 19.

montorium navigarent. Quo dolo inductos Megarenses navem cum armatis eo misisse. Solonem autem mulieres domum redire et adolescentes imberbes earum stolis, mitris, calceis indutos atque pugionibus sub vestibus abditis armatos in litore ludere et saltare iussisse, quoad hostes e navibus egressi essent. Megarenses adspectu imberbium eorumque vestitu deceptos navem appulisse, sed cum se mulieres capturos esse opinarentur, a iuvenibus illis concisos esse. Deinde Athenienses navem conscendisse et Salamine potitos esse. [1]) Eadem fere etiam Polyaenus [2]) — fortasse Plutarchum secutus — narrat, nisi quod et complures naves a Megarensibus in Coliadem directas ibique amissas esse dicit neque nomen Pisistrati commemorat. Attamen istam narrationem veram esse haud verisimile est, quia Pisistratus illi expeditioni, quam Plutarchus prius narrat, quam bellum sacrum, interesse non potuit; quodsi enim eum tum temporis nondum natum fuisse aliquis mihi non concedet, attamen id pro certo non negabit, eum illis temporibus puerum haud multorum annorum fuisse. [3]) Praeterea nonnulli auctores ipsum Pisistratum dolo prorsus simili, cum Nisaea potiretur, usum esse tradunt. [4])

Aliquanto propius ad verum mihi altera illa narratio accedere videtur, quam apud Plutarchum (V. Sol. c. 9) legimus: Solonem primum oraculum Delphicum consuluisse et hoc responsum tulisse:

---

[1]) V. Sol. c. 8.

[2]) I. 20, 2.

[3]) Pisistratus enim, qui a. a. Chr. n. 527 (Duncker l. l. VI^3. p. 454 n.) senex (Thuc. VI. 54) mortuus est, ante a. 575 exercitui praefectus esse vix potuit; deinde verba „μετὰ τοῦ Πεισιστράτου“ vel ipsa suspicionem movent, auctorem duo bella confudisse; id quod etiam eo confirmatur, quod in cap. 12 ab eodem auctore inter Atheniensium partium certamina ante Epimenidem accitum exorta Megarenses non solum Salamina sed etiam Nisaeam recuperasse dicuntur, quam mea quidem sententia circiter 25 annis post Pisistratus oppressit. Neque assentior Voemelio (Exercit. chronolog. de aetate Solonis et Croesi. Francof. 1832 p. 20 n.) et Westermanno (ad Plut. V. Sol. c. 8), qui Pisistrati tyranni avum bello a Solone gesto interfuisse coniiciunt; nam sine ulla dubitatione Plutarchus, nisi clarissimum illum tyrannum significare voluisset, id disertis verbis dixisset.

[4]) Aeneas, Comm. poliorc. c. 4; Frontin. Strat. IV. 7, 44; Justin. II. 8. Cfr. A. Hug, Rh. Mus. N. F. XXXII (1877) p. 629 sq.

Ἀρχηγοὺς χώρας θυσίαις ἥρωας ἐνοίκους
ἵλασο, τοὺς κόλποις Ἀσωπιὰς[1]) ἀμφικαλύπτει,
οἳ φθίμενοι δέρκονται ἐς ἠέλιον δύνοντα·[2])

Itaque illum nocturno tempore Salamina navigasse ibique Periphemo et Cychreo heroibus immolasse et deinde ab Atheniensibus quingentos voluntarios accepisse *δόγματος γενομένου τούτους, ἂν κατάσχωσι τὴν νῆσον, κυρίους εἶναι τοῦ πολιτεύματος,*[3]) quibuscum multis navigiis piscatoriis deductis, comitante una tantum nave, quae triginta remis ageretur, in crepidinem quandam[4]) profectus esset. Quo nuntio allato Megarenses, qui Salamine essent, ad arma concurrisse et navem eo misisse exploraturam, quid Athenienses agerent. Qua oppressa virisque in vincula coniectis, Solonem fortissimum quemque suorum militum illam navem Megaricam conscendere et urbem petere et, quantum fieri posset, in nave se occultare iussisse. Cum deinde ceteri Atheniensium Solone duce pugnam terrestrem committerent, ab illis, qui in nave essent, urbem improviso oppressam esse. Victoria parta Megarenses, qui

---

[1]) Salamis Asopi filia esse traditur: Apollod. III. 12, 7 (Müller, Fr. h. gr. I. p. 172); Paus. I. 35, 2; Etymol. M. s. v. *Σαλαμίς.* (p. 707, 42.)

[2]) Mirum est, quod Pythia hoc versu morem mortuos sepeliendi apud Salaminios usitatum memorasse traditur, quo Solo triginta fere annis post probare studuit, Salamina Atheniensium esse; quare suspicor, hunc versum inferiore aetate a docto quodam Atheniensi duobus illis aliis versibus additum esse. Num autem totum quoque responsum ita confictum sit, in medio relinquo.

[3]) Cfr. Grote-Meiſsner II. (Lpz. 1851) p. 72, n. 5: Die genaue Bedeutung dieses Wortes bezieht sich nur auf die Regierung dieser Insel; es scheint aber fast gewiſs damit gemeint zu sein, daſs sie darauf als Kleruchen oder Landeigentümer eingesetzt werden sollten, ohne notwendiger Weise in sich zu fassen, daſs alle vorherexistirenden Eigentümer vertrieben werden würden.

[4]) *Ἀναχθέντα δὲ συχναῖς ἁλιάσιν ἅμα τριακοντόρου συμπαραπλεούσης ὑφορμίσασθαι τῇ Σαλαμῖνι κατὰ χηλήν τινα πρὸς Εὔβοιαν ἀποβλέπουσαν.* Sed inter Salamina et Euboeam insulas Attica sita est neque verisimile est Plutarchum Euboeam montem (Strab. X. 1, 15, p. 449 C.; Paus. II. 17, 1) significari voluisse. Quare Sintenis, quem Doehner secutus est, *Νίσαιαν* scribendum esse coniicit, Westermann *Μινώαν* (Strab. IX. 1, 4, p. 391 C.). Mihi vero a vero abhorrere videtur, in hanc insulae partem Solonem hostes oppressurum classem appulisse; fortasse legendem est „*πρὸς Αἴγιναν*". Certe siquidem in Plutarchi narratione veri quid inest, Solo non tam procul a vetere oppido Salamine in parte meridionali insulae naves appulisse mihi videtur prope Sciradion promontorium.

in insula superessent, induciis factis a Solone insulam relinquere iussos esse. — Aelianus[1]) autem Solonem ducem in duas naves Megariensium captas „*στρατηγοὺς ἀττικοὺς*“ conscendere suosque milites se armis hostium induere iussisse et hac fraude multos Megarenses inermes concidisse; quae quidem non valde discrepant ab iis, quae Plutarchus memoriae prodidit. Sed in illa narratione Plutarchea hoc mihi vix credibile esse videtur, Solonem cum quingentis voluntariis et praeter navigia piscatoria una tantum nave, quae triginta remis ageretur, illud bellum suscepisse. Quomodo enim audere potuit cum tam parva manu contra hostes proficisci, qui antea Atheniensibus tot tantasque clades intulerant?[2]) Etiam Polyaenus[3]) dicit, Athenienses illo bello „*κατὰ κράτος*“ vicisse. Denique Megarenses tradebant,[4]) Athenienses in insula expugnanda a proditoribus adiutos esse; exules enim quosdam, quibus Dorycleis nomen fuisset, Salamina ad colonos venisse et Atheniensibus insulam prodidisse. Quae narratio non prorsus negligenda esse mihi videtur, quia facile fieri poterat, ut Solo in opprimendo oppido a proditoribus adiuvaretur. Itaque insula potitus esse videtur et aliquo dolo usus et a proditoribus adiutus.

Megarenses autem insulam amissam bello redintegrato recuperasse dicuntur quo tempore Atheniensium civitas partium certaminibus dilacerabatur.[5]) Deinde, probabiliter 20—25 annis post,[6]) Megarenses consilium ceperunt matronas Atheniensium noctu inter sacra quaedam Eleusinia rapiendi. Qua de re certior

---

[1]) V. H. VII. 19.

[2]) Fortasse pulsis Megarensibus quingenti coloni ab Atheniensibus in insulam deducti sunt, qui postea insulam soli expugnasse putabantur. Cfr. C. J. Gr. No. 108; Plut. V. Sol. c. 9: *δόγματος γενομένου, τούτους, ἂν κατασχῶσι τὴν νῆσον, κυρίους εἶναι τοῦ πολιτεύματος.*

[3]) I. 20, 1.

[4]) Paus. I. 40, 4.

[5]) Plut. V. Sol. c. 12: *Ταύταις δὲ ταῖς ταραχαῖς καὶ Μεγαρέων συνεπιθεμένων ἀπέβαλόν τε Νίσαιαν οἱ Ἀθηναῖοι καὶ Σαλαμῖνος ἐξέπεσον αὖθις,* e quibus verbis perperam Bohren (Philol. XXX. p. 190) concludit, etiam Nisaeam iam a Solone expugnatam esse; Plutarchus enim errat.

[6]) Constat, Pisistratum Megarenses ante tyrannidem occupatam superasse (Herod. I. 59; Justin. II. 8), ante a. a. Chr. n. 575 autem vix exercitui praeesse potuit.

factus militibus in insidiis collocatis Pisistratus, dux Atheniensium, mulieres more solito sacra agere iussit et hostes e navibus egressos ex inopinato aggressus concidit et navibus eorum potitus eas protinus suis militibus complevit intermixtis mulieribus, quae speciem captivarum prae se ferrent. Deinde Megara profectus haud procul ab urbe naves applicuit. Megarenses autem et navibus et specie matronarum captarum decepti multi ad naves currunt et caeduntur.[1]) Quin etiam Nisaea Pisistratus, probabiliter eadem hac expeditione, potitus est.[2])

---

[1]) Aeneae comm. pol. c. 4; Frontin. Strat. IV. 7, 44; Justin. II. 8. — Aeneas sacra illa Eleusinia thesmophoria fuisse dicit, quare plerique putant Megarenses non Eleusine sed Halimunte (prope Coliadem promontorium cfr. Plut. V. Sol. c. 8; Polyaen. I. 20, 2) matronas Atheniensium rapere voluisse (A. Mommsen, Heortologie Lpz. 1864. p. 300 n.; Hermann, Lehrb. d. gottesdienstl. Alt. der Griechen § 56, 20; Duncker VI^{3}. p. 244). Sed equidem assentior A. Hugio (Rh. Mus. N. F XXXII [1877] p. 631 sq.), qui hac de re ita disputat: „Wir brauchen blos anzunehmen, dafs der Autor, aus dem Aeneas schöpfte, der vielleicht kein geborner Attiker war, den Ausdruck *θεσμοφόρια* nicht in dem spezifisch attischen Sinne, sondern in der allgemeinern Bedeutung nahm, in welcher er oft, namentlich im Peloponnes, gebraucht wurde: von irgendwelchen Frauenfeiern zu Ehren der Demeter; man vergleiche z. B. Xen. Hell. V. 2, 29 *διὰ τὸ τὰς γυναῖκας ἐν τῇ Καδμείᾳ θεσμοφοριάζειν* von dem Feste *Θαλύσια.* Nun wissen wir aus den von Rhode, Rh. Mus. XXV. p. 557 publizierten Scholien zu Lucian. dial. meretr. VII. 4, dafs es in Eleusis auch Separatfeste der Frauen gab: *ἐν ταύτῃ καὶ τελετή τις εἰσάγεται γυναικῶν ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ παιδιαὶ λέγονται πολλαὶ καὶ σκώμματα· μόναι δὲ γυναῖκες εἰσπορευόμεναι ἐπ᾽ ἀδείας ἔχουσιν ἃ βούλονται λέγειν,* was von den Festen der Haloen aus unbestimmter Zeit berichtet wird. Damit wollen wir nicht sagen, es sei in dem Berichte der Quelle des Aeneas speziell an die Haloen zu denken; eine Möglichkeit wäre dies freilich, aber wir sind doch zu wenig über die Zeit, um die es sich handelt, unterrichtet, um mit Bestimmtheit etwas sagen zu können. Es genügt uns die Bestätigung, dafs Attische Frauen in Eleusis separate Feier hatten". Et profecto hostibus Megaris profectis multo facilius consilium adscribi potest matronas Eleusine, quam Halimunte rapiendi. Quare tam mirum non est, nonnullos e veteribus, cum sacra illa mulierum thesmophoria haberent, illo dolo Megarenses Salamine profectos per Solonem prope Coliadem deceptos esse credidisse (Plut. V. Sol. c. 8; Polyaen. I. 20, 2).

[2]) Herod. I. 59. — Nescio an ad illam incursionem in agrum Eleusinium a Megarensibus factam etiam ea pertineant, quae Solo Croeso de Tello pro patria gloriose mortuo narrasse traditur (Herod. I. 30; Plut. V. S. c. 27), nisi forte Megarenses duas incursiones eodem fere tempore in fines Eleusinios fecisse statuas.

Haud ignoro illam sententiam iam a Bulwero expositam,[1]) ab Atheniensibus illa aetate contra Megarenses duas expeditiones, alteram Solone alteram Pisistrato duce, susceptas esse a nonnullis viris doctis vituperari. Thirlwall[2]) enim Solonem tantum bellum ad Salamina expugnandam gessisse statuit; sed praeter Frontinum et Iustinum etiam graves auctores, Herodotus et Aeneas, Pisistrati expeditionem testantur. Contra alii mihi immerito Solonem ducem prioris expeditionis fuisse negare videntur.[3]) Concedo quidem narrationes, quibus Solo (Plut. V. Sol. c. 9) Salamina et Pisistratus Nisaeam cepisse traditur, similitudinem quandam inter se habere; hic et illic enim ab Atheniensibus naves Megarensium capiuntur et militibus Atticis armantur, et sic Megarenses ipsorum milites navibus revertisse arbitrati opprimuntur oppidumque amittunt, primum Salamina per Solonem, postea per Pisistratum Nisaeam. Sed quamvis iam supra aliis causis commotus in dubium vocaverim, num omnia in illa narratione Plutarchea accuratissima sint, tamen ut eam non prorsus fictam esse credam, adducor et sacello Martis, quod in insula Salamine Solo, non Pisistratus, exstruxisse traditur,[4]) et caerimoniis, quibus Athenienses, memoriam illius victoriae Solonis celebrare solitos esse Plutarchus testatur:[5]) *Ἔοικε δὲ τούτῳ τῷ λόγῳ*, inquit enim auctor ille, *καὶ*

Certe irruptio, quam Herod. I. 30 memorat, postquam Solo leges tulit, facta esse videtur, quia et Herodotus Tellum *πόλιος εὖ ἡκούσης* vixisse dicit et civitas Atheniensium, antequam Solo leges tulit, bene constituta dici non potest. Quare C. O. Muellero non assentior, qui (Dorier I². Bresl. 1844. p. 177) bellum, quo Tellus cecidit, ante Solonis aetatem gestum esse coniicit; recte autem idem vir doctissimus l. l. et Gött. Gel. Anz. 1830. p. 126 docet, verbo, quod est *ἀστυγείτονες* (Herod. I. 30) Megarenses intelligendos esse, non Eleusinios, ut Lobeck, Aglaoph. I. p. 215 censuit, qui tamen postea in Addendis (Agl. II. p. 1351) errorem illum agnovit. Cfr. Bohren, Philol. XXX. p. 190 sq.; Schoemann, Verfassungsgesch. Athens (Lpz. 1854) p. 16.

[1]) Bulwer-Bärmann, Athens Aufschwung und Fall. II. (Zwickau 1837) p. 192 sq.

[2]) Gesch. von Griechenland, übersetzt von Schmitz (Bonn 1840) II. p. 26 sq. Cfr. Grote-Meissner, Gesch. Griechenlands II. p. 72 sq.; p. 120, n. 99.

[3]) C. Grundner, Quo tempore et quo duce bellum Salaminium gestum sit, demonstratur. Diss. Jen. 1875. 8⁰. p. 28 sq.; Begemann, Quaest. Sol. II, p. 11 sq.

[4]) Plut. V. Sol. c. 9.

[5]) l. l.

τὰ δρώμενα μαρτυρεῖν. Ναῦς γάρ τις Ἀττικὴ προσέπλει σιωπῇ τὸ πρῶτον, εἶτα κραυγῇ καὶ ἀλαλαγμῷ προσφερομένων εἷς ἀνὴρ ἔνοπλος ἐξαλλόμενος μετὰ βοῆς ἔθει πρὸς ἄκρον τὸ Σκιράδιον[1]) ἐκ γῆς προσφερομένοις. Haud nego, ita illas caerimonias non satis perspicue descriptas esse, quare Sintenis et Westermann post v. „Σκιράδιον“ nonnulla excidisse putant, quae extremae ludicri illius parti illustrandae inservierint. Attamen ad dolum, quo Pisistratus contra Megarenses usus est, illud ludicrum mihi quadrare non videtur; praesertim cum mulieres illi ludicro interfuisse non videantur; praeterea memoria doli Pisistrati potius Eleusine quam Salamine celebranda erat. — Praeterea Plutarchus generatim quidem res a Solone gestas servato temporis ordine enarrasse videtur. Atqui Salaminiam expeditionem ante bellum sacrum et ante Epimenidem Athenas vocatum tradit; quare Solo mihi etiam circiter a. a. Chr. n. 600 vel potius paulo ante cives ad bellum cum Megarensibus renovandum adhortatus dux expeditionis electus esse videtur. — Deinde illi e veteribus auctoribus, qui praeter Plutarchum Solonem Salamina expugnasse tradunt,[2]) neque Pisistrati neque Nisaeae mentionem faciunt; qui vero Pisistrati expeditionem memoriae prodiderunt[3]) neque Solonem neque Salamina insulam commemorant. Itaque non intelligo, cur duo bella, alte-

---

[1]) Illud promontorium ita sine dubio a Minerva Scirade appellabatur (Herod. VIII. 94; Strab. IX. 1, 9; Athen. XI. 62, p. 495. f.; Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 512; Harpocr. s. v. Σκίρον.). Salamis insula olim a Sciro vate (Paus. I. 36, 3) etiam Sciras nominata esse traditur (Strab. l. l.) Sciradium promontorium, quod „περὶ τὰ λήγοντα τῆς Σαλαμῖνος“ situm erat (Plut. de malign. Herod. c. 39, p. 870 [vol. IX., p. 452 R.), Leake, die Demen Attikas (übers. von Westermann p. 214 sq.) in septentrionali insulae parte quaerendum esse censet et illud reperisse sibi videtur quo loco nunc monasterium Παναγία φαναρωμένη extructum est; illi assentitur Bursian, Geogr. von Griechenland, I. (Lpz. 1862) p. 365. Westermann autem (in ann. ad Plut. V. Sol. c. 9.) Sciradium aliud promontorium esse putat, quod magis ad occidentem versus e regione Minoae iacet. Sed mihi probabilior sententia illorum esse videtur, qui illud in meridionali parte insulae prope veterem Salamina urbem situm fuisse arbitrantur. Wachsmuth, Die Stadt Athen im Altert. I. p. 443, n. 2; Duncker, Gesch. des Alt. VI³. p. 145, n. 1.

[2]) Polyaen. I. 20; Aelian. V. H. VII. 19.

[3]) Aeneas, Justinus, Frontinus l. l. c. c. Herod. I. 59.

rum Solone alterum Pisistrato duce gestum, statuere non liceat. — Denique etiam Pseudo-Demosthenes in libro, qui inscribitur „Ἐρωτικός“ satis perspicue Solonem ducem contra Megarenses fuisse testatur his verbis:[1]) ἐπεὶ σύνοιδά γε.... Σόλωνα δὲ καὶ ζῶντα καὶ τελευτήσαντα μεγίστης δόξης ἠξιωμένον· ὃς οὐκ ἀπεληλαμένος τῶν ἄλλων τιμῶν, ἀλλὰ τῆς μὲν ἀνδρείας τὸ πρὸς Μεγαρέας τρόπαιον ὑπόμνημα καταλιπὼν τῆς δ᾽ εὐβουλίας τῆς Σαλαμῖνος κομιδήν κ. τ. λ.[2]) Magni momenti mihi autem non esse videtur, quod Daïmachus Plataeensis[3]) a Solone bellum contra Megarenses administratum esse negat, quia illius auctoritas iam apud veteres haud magna, quin immo paene nulla fuit.[4])

Quidquid est, tandem Atheniensibus cum Megarensibus convenit, ut Lacedaemonios arbitros sumerent,[5]) qui disceptarent, utrius civitatis insula esset. Plutarchus etiam nomina quinque illorum disceptatorum memorat, quae sunt: Critolaidas, Amompharetus, Hypsechidas, Anaxilas, Cleomenes. Quae nomina vereor, ne ab Hermippo ficta sint, qui etiam viginti nomina eorum, qui iussu Lycurgi forum occupasse feruntur, finxisse videtur.[6]) Illa in lite Solo causam Atheniensium dixit atque ut insulam Atheniensium esse ostenderet, his quatuor argumentis usus esse traditur:

---

1) § 49.

2) Cfr. Valer. Max. V. 3; ext. 3: Jam Solon, ... qui Salaminem velut hostilem arcem ex propinquo saluti eorum imminentem recuperavit etc.; Diog. L. I. 46: καὶ αὖθις πρὸς τοὺς Μεγαρέας ἐπολέμησαν καὶ ἐνίκων διὰ Σόλωνα. Qui auctores certe verbis minus accuratis usi essent, si Solo auctor tantum belli fuisset; eo verius autem ita dicere poterant, si ille etiam dux belli insulam expugnavit.

3) ap. Plut. Comp. Sol. et Popl. c. 4.

4) Strab. II. 1, 9. p. 70 C. Cfr. tamen Begemann. Qu. Sol. II. p. 13. Fortasse Daimachus negligens ille auctor, bellum Pisistrato duce contra Megarenses gestum apud quendam rerum scriptorem descriptum legerat neque nimirum ibi Solonem memoratum invenerat.

5) Plut. V. Sol. c. 10; Aelian. VII. 19.

6) Plut. V. Lyc. c. 5. Cfr. C. O. Müller, Dorier I². p. 137 n. 1; H. Begemann, Quaest. Sol. I. p. 11; C. Schultess, De Epimenide Crete. Diss. Bonn. 8º. 1877. p. 9. — Si re vera quinque Spartiatae arbitri fuerunt, illos ephoros fuisse a vero mihi abhorrere non videtur. Duncker, l. l. VI³. p. 245.

1. Primum in Iliadis catalogo navium post versum 557:
Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας
haec inseruisse dicitur:
στῆσε δ' ἄγων ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες. [1])
Cui narrationi autem ipse Plutarchus addit: *Αὐτοὶ δ' Ἀθηναῖοι ταῦτα μὲν οἴονται φλυαρίαν εἶναι.* Strabone teste [2]) ab aliis ille versus Pisistrato adscribebatur.

2. Re vera autem Solo iudices docuisse videtur, Philaeum et Eurysacem, Aiacis filios, ab Atheniensibus civitate donatos Salamina tradidisse, [3]) et alterum in Braurone, alterum in Melite habitavisse. [4])

---

[1]) Plut. V. Sol. c. 10; Diog. L. I. 48. Eustath. ad. Il. II. 557, p. 285 ed. Rom; Schol. Demosth. de f. leg. § 252 (p. 438 ed. Dind.). Eandem rem, Solone autem non memorato, narrant etiam Aristot. Rhet. I. 15; Quintil. Instit. orat. V. 11, 40.

[2]) IX. 1, 10 p. 394 C. — Auctor vitae Homeri, quae Herodoto adscribitur, c. 28 narrat, Homerum ipsum in Graeciam profecturum cum alios nonnullos versus, tum illum, quo Aiacem cum Salaminiis Atheniensibus annumeraret, ut horum animos sibi conciliaret, carminibus inseruisse. — Denique memoretur, apud Suidam (s. v. *Δαφίδας*) a Daphida, Telmissensi grammatico, Homerum mendacii argui negante Athenienses Iliacae expeditioni interfuisse.

[3]) Plut. l. l. cfr. Herod. VI. 35; Pherecyd. ap. Marcell. V. Thucyd. 3; Steph. Byz. s. v. *Φιλαΐδαι.* Eandem rem etiam Pausanias (I. 35, 2) tradit neque tamen Philaeum Aiacis filium dicit, sed Eurysacis filium, Aiacis nepotem: *Φιλαῖον δὲ τὸν Εὐρυσάκους τοῦ Αἴαντος παραδοῦναι λέγουσιν Ἀθηναίοις τὴν νῆσον, γενόμενον ὑπ' αὐτῶν Ἀθηναῖον* — Etiam Eurysaceum Athenis erat; commemoratur enim ap. Harpocr. s. v *Εὐρυσάκειον* et s. v. *Κολωναίτας* (leg. *Κολωνέτας*); Suid. s. v. *Εὐρυσάκης* et s. v. *Κολωνέτας;* Poll. VII. 133. — De iis, quae de Philaidarum historia a veteribus traduntur, vid. Zeitschr. für Altertumswiss. I. (1843) p. 602—614, Welcker, Kl. Schr. II. p. 281 sq.

[4]) Brauron ad oram orientalem Atticae spectabat (Leake-Westermann, Die Demen Attikas (Branschw. 1840) p. 17; 61 sq. Melite inde a Clisthenis aetate demus urbanus fuisse videtur (Leake l. l. p. 21; Wachsmuth, Die Stadt Athen im Altert. I. p. 348 sq.) — Plutarchus l. l. illud argumentum ita confirmat: *καὶ δῆμον ἐπώνυμον Φιλαίου τὸν τῶν Φιλαΐδῶν ἔχουσιν ὅθεν ἦν Πεισίστρατος.* Etiam apud Platonem (Hipparch. p. 228 b.) Pisistratus *ἐκ Φιλαΐδῶν* oriundus esse dicitur, quamquam Herodotus (V. 65) et Pausanias (II. 18, 7) eum a Neleo originem traxisse dicunt. Videtur igitur eius familia inde a Clisthenis aetate *κατὰ δῆμον* Philaïdarum fuisse, cum *κατὰ γένος* Neleïdarum esse putaretur.

3. Deinde ostendere studuit, Salaminios non eodem modo, quo Megarenses, sed quo Athenienses, mortuos condere. Megarenses enim corpora mortuorum ita in tumulis ponere, ut oculi in orientem versi essent, Athenienses vero et Salaminios, ut in occidentem spectarent.[1] Praeterea Salamine sepulcris etiam nomen vici, ex quo quisque fuisset, insculptum esse, id quod Atheniensium esset.[2]
4. Denique oraculis Apollinis usus est, quibus ille deus Salamina Ioniam appellavisse traditur.

Quae Megarensium legatus illis argumentis Solonis opposuerit, nescimus. Strabo illos versus Il. II. 557—558 a Megarensibus sic recitatos esse tradit:

Αἴας δ᾽ ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν νέας ἔκ τε Πολίχνης
ἔκ τ᾽ Αἰγειρούσσης Νισαίης τε Τριπόδων τε.[3]

Deinde apud Plutarchum[4] Hereas, rerum scriptor Megaricus, affirmat etiam Megarenses corpora mortua ita in tumulis ponere, ut ad occidentem solem spectent; apud Athenienses autem singulos mortuos suo sepulcro uti, a Megarensibus vero ternos vel quaternos mortuos in singula sepulcra condi.

Sed quinque illi arbitri Salamina Atheniensibus adiudicaverunt,[5] licet nobis certe Solonis argumenta magni momenti

---

[1]) Plut. l. l. Aelian. VII. 19; cfr. V. 14. Ab his duobus rerum scriptoribus Diog. L. I. 48 dissentit tradens: *ἀνασκάψας τινὰς τάφους ἔδειξε τοὺς νεκροὺς πρὸς ἀνατολὰς ἐστραμμένους, ὡς ἦν ἔθος θάπτειν Ἀθηναίοις.* Quem auctorem sequitur Müller, Dorier II². p. 391. Ceterum hac de re apud Rossium (Archäolog. Aufs. I. [Lpz. 1855] p. 22) ita scriptum videmus: „Die attischen Gräber, namentlich die in Felsen gehauenen, haben je nach Platz und Gelegenheit alle möglichen Richtungen der Windrose; und ebenso liegt das Haupt des Toten bald nach dieser bald nach jener Weltgegend. Indes will es allerdings scheinen, als ob da, wo die Richtung des Grabes dies möglich machte, das westliche Ende vorgezogen wäre; allein unsere Erfahrnngen sind noch zu eingeschränkt, und ein solcher Satz kann nur durch Beobachtung einiger Tausende von Fällen die nötige Gewiſsheit erhalten.

[2]) Diog. L. I. 48.

[3]) Strab. IX. 1, 10 p. 394 C.: *ἅ ἐστι χωρία Μεγαρικά, ὧν οἱ Τρίποδες Τριποδίσκιον λέγονται, καθ᾽ ὃ ἡ νῦν ἀγορὰ τῶν Μεγάρων κεῖται.*

[4]) V. Sol. c. 10.

[5]) Plut. l. l.; Aelian. V. H. VII. 19; Schol. Demosth. XIX. § 251.

esse non videantur.[1]) Nisaea autem, si hunc portum etiamtunc in potestate Atheniensium fuisse statuas, Megarensibus reddita est. Qua pace composita Atheniensibus mare apertum erat; insula enim perpetuo Atheniensium erat usque ad a. a. Chr. n. 318. Quoniam Solo et auctor belli Salaminii renovati et dux eius fuit et coram quinque arbitris Lacedaemoniis causam Atheniensium dixit, veteres ei haud immerito insulam illam occupatam tribuebant;[2]) quin Aristides[3]) Solonis cinerem in insula sparsum esse memorans illum „ἀρχηγέτην" vocat. Salaminii autem ipsi Soloni circiter a. a. Chr. n. 390 statuam posuerunt, in qua eum artifex manum in sinu tenentem finxerat.[4])

Bello Megarensi feliciter renovato, Solo legatus Atheniensium in concilio Amphictyonum factus etiam belli sacri auctor exstitit cum pietate ductus tum sperans fore ut illo bello perpetua discordia civium, qua civitas Atheniensium tunc laborabat, diminueretur et auctoritas patriae apud ceteros Graecos augeretur. Causa autem illius belli sacri haec erat: Cum sacerdotes Delphici iam dudum neque frustra integrae ac solidae libertatis fieri studerent, Crissaei iis obstantes aegre ferebant, quod tutela sacri Delphici ab ipsis ad Amphictyones transiisset, Delphicorumque sacerdotum opibus in dies auctis invidebant. Quare multa impie nefarieque in Apollinem committentes inter alia scelera partem terrae sacrae occupaverant iisque, qui Delphos migraturi mari advenerant, vectigalia ab Amphictyonibus vetita imponebant;[5]) praeterea interdum regiones finitimas depraedantes etiam mulieres liberosque rapuerunt vitiaruntque;[6]) sic Megisto, Pelagonis filia, et Argivorum filiae

---

[1]) Nisi Solo praeter illa quatuor argumenta etiam alia attulit, neque ante ipsum bellum insulam Atheniensium fuisse probavit, Salamanii sui iuris mansisse videntur, donec Theagenes insulam occupavit.

[2]) Demosth. XIX. 252; LXI. 49; Valer. Max. V. 3, ext. 3; Plut. Comp. Sol. et Popl. c. 4.

[3]) or. 46 (vol. II. p. 230 ed. Dind.).

[4]) Aeschin. c. Timarch. 25; Demosth. XIX. 251, cuius verba docent, Dioni Chrysostomo (or. 37, p. 456 b—c.) fidem habendam non esse tradenti, illam statuam a Salaminiis Solone vivo erectam esse.

[5]) Aeschin. or. in Ctesiph. § 107; Thessali Hippocr. fil. or. (Medic. graec. opera ed. Kuehn vol. XXIII. p. 833; Strab. IX. 3, 4, p. 418 C.; Paus. X. 37, 4.

[6]) Thessali or. l. l.; Schol. Pind. Pyth. Introd.

ab illis raptae esse dicuntur.[1]) Denique illa gens etiam dona Apollini Delphis dedicata rapuisse traditur.[2]) Quare Solo, fortasse precibus sacerdotum Apollinis obsecutus, Amphictyonum concilio suasit, ut illa scelera a Crissaeis commissa acerrime vindicarentur: „ὡς χρὴ βοηθεῖν καὶ μὴ περιορᾶν Κιῤῥαίους ὑβρίζοντας εἰς τὸ μαντεῖον, ἀλλὰ προσαμύνειν ὑπὲρ τοῦ θεοῦ Δελφοῖς.“[3]) Sine dubio, priusquam in synedrio Amphictyonum huius belli suasor exstitit, civibus suis iam antea persuaserat, ut, illo bello decreto, Amphictyones armis adiuvare vellent. Cum etiam Pythia — quod nimirum haud mirandum est — ad bellum sacrum acerrime gerendum Amphictyones adhortata esset, illud ab Eurylocho, Thessalorum dynaste, Clisthene, Sicyoniorum tyranno, Atheniensibus, Alcmaeone, Megaclis filio, duce, geri coeptum est[4]) circiter a. a. Chr. n. 600. Callisthenes[5]) enim illud bellum decem annos durasse, decimo autem anno Cirrham captam esse tradit, quam urbem Schol. ad Pind. Pyth. Introd. Simone (vel Simonide, ut uno loco vocatur) Atheniensi archonte, Gylida Delphico archonte, expugnatam esse narrant, quibuscum Marmor Parium ita consentit, ut a. 590 Simone archonte illud factum esse tradat:[6]) [„Ἀφ᾽ οὗ Ἀμφικτύ]ο[νες ἐνίκησαν ἑλ]όντες Κύῤῥαν καὶ ὁ ἀγὼν ὁ γυμνικὸς ἐτέθη χρηματίτης ἀπὸ τῶν λαφύρων ἔτη ΗΗ[Η]ΔΔΓΙΙ ἄρχοντος Ἀθήνησι Σίμω[ν]ος.“ (264 + 327 = 591) Quos auctores si sequaris bellum circiter a. 600 initium cepisse statuere licet.[7])

---

[1]) Callisth. ap. Athen. XIII. 10, p. 560.

[2]) Aeschin. or. in Ctes. 107; Diod. exc. Vatic. 23, p. 22 ed. Dind. (IX. 26 ed. Bekk.); in Thessali oratione Crissaei Δελφοὺς καταδουλούμενοι dicuntur.

[3]) Plut. V. Sol. c. 11. — Aeschines l. l. etiam Craugallidas socios Crissaeorum commemorat, de quibus cfr. Harpocr. s. v. Κραυαλλίδαι; Preller, Ausgew. Aufs. ed. K. Koehler, (Berl. 1864) p. 233; 240; H. Sauppe, Epist. crit. ad God. Hermannum, Lips. 1840. p. 54 sq.

[4]) Wachsmuth, Hellen. Altertumskunde I². (Halle 1844) p. 165 et Bürgel, die pyl.-delph. Amphiktyonie (München 1877) p. 47 illud bellum ab Amphictyonibus neque decretum neque gestum esse, licet ita Aeschines, Thessalus, Pausanias, Plutarchus, Polyaenus, Scholiastae Pind. l. l. c. c. diserte tradant.

[5]) ap. Athen. XIII. 10, p. 560 b—c.

[6]) C. J. Gr. No. 2374. Ep. 38.

[7]) Clinton-Krüger, F. H. App. p. 207 sq.; Voemel, de aet. Sol. et Croesi p. 6; Westermann in Epim. ad Plut. V. Sol. p. 89; Callisth. fragm. de bello

Quamquam Callisthenis verba non ita premenda esse mihi videntur, ut illud bellum decem annos durasse putem; nam spatium decem annorum nonnumquam nobis in historia graeca occurrit, ubi plerumque mihi ita omnino tempus satis longum significari videtur.[1]) Neque tamen assentior iis,[2]) qui etiam sex illos annos, per quos Amphictyonum exercitus in Cirphi monte contra illos Crissaeos, qui Cirrha capta supererant, dimicavit, in ratione a Callisthene ductos esse rati bellum sacrum inde ab anno 596 vel 594 initium cepisse existimant; diserte enim Callisthenes dicit: *δεκάτῳ δὲ ἔτει ἑάλω καὶ ἡ Κίῤῥα*, unde apparet, illum pugnae in Cirphi monte editae rationem non habuisse. Atque re vera sacerdotes Delphici et Amphictyones Crissa et Cirrha deletis eas res, quas sibi bello sacro proposuerant, etiam obtinuerant. Quare Eurylocho et Clisthene domos reversis Hippias Thessalus tantum cum parva manu ad bellum in Cirphi monte gerendum relictus est.[3]) Ceterum bellum haud ita multo post

---

sacro p. 21; Thirlwall-Schmitz, Gesch. von Griech. II. p. 27, n. 2; Zelle, Beitr. zur ält. Verfassungsgesch. Ath. (Dresden 1850) p. 36; Möller, der krissäische oder der erste hl. Krieg. p. 10 sq.; Curtius, Griech. Gesch. I[5]. p. 249; 658, n. 82.

[1]) E. gr. etiam bellum Troianum 10 annos durasse dicitur, Solo legibus latis iter decennale suscepisse, Pittacus per 10 annos tyrannus fuisse, deinde 10 annis post mortuus esse (Diog. L. I. 75).

[2]) Clavier, Hist. des premiers temps de la Grèce (Paris 1809) p. 321; Fischer, Griech. Zeittfln. (Altona 1840) p. 116; W. Wachsmuth, Hellen. Altk. I[2]. p. 164; Grote-Meissner II. p. 375; Peter, Zeittafeln der griech. Gesch. (Halle 1858) p. 31; Schoemann, Griech Altert. II[3]. (Berl. 1873) p. 34. — Duncker VI[3]. p. 81, n. 3 illud bellum inde ab a. 592—583 durasse coniicit. Nonnulli viri docti Solonem ante Athenas ab Epimenide lustratas auctorem belli contra piaculo obstrictos gerendi existere non potuisse putant. Sed argumentis, quae supra exposui mihi contrarium satis probari videtur. Quare equidem puto, maxime tempore belli sacri opinionem vulgatam esse, qua totam civitatem propter scelus Cylonium, quod vocatur, lustrandam esse Athenienses crederent, sive quia tunc urbem pestilentia ussit, sive quia ipso bello sacro religio populi erga deos aucta est.

[3]) Quam parvi Amphictyones illud bellum Crissa deleta in Cirphi gerendum habuerint, etiam ex hac re concludi potest, quod iam ante finem huius belli (a. 590 vel 586) *ἀγῶνα χρηματίτην* instituerunt, in quo partem praedae de Crissaeis captae distribuerunt. Paus. X. 7, 3 tradit, Ol. 48, 3 ab Amphictyonibus ludos illos pecuniarios celebratos esse et eam Pythiadem, quae Ol. 47, 3

a. a. Chr. n. 600 geri coeptum esse a Plutarcho ita quidem confirmatur, ut in contexenda serie rerum a Solone gestarum illud prius narret quam Alcmaeonidas Athenis expulsos urbemque lustratam. — Accedit, quod Alcmaeon „ἐν τοῖς Δελφῶν ὑπομνήμασι“ dux Atheniensium appellatur. [1]) Quoniam hic enim paulo ante Athenas lustratas patria expulsus est neque mihi quidem lege illa, quam apud Plut. V. Sol. c. 19 legimus, veniam impetrasse videtur, eum iam ante a. 596 bello sacro interfuisse statuo. [2])

Euanthes Samius [3]) Solonem bello sacro ducem Atheniensium fuisse memoriae prodidit. Sed valde dubitandum est, num re vera Alcmaeoni successerit; [4]) certe illi bello perpetuo usque ad finem

---

secuta est, secundam appellat; deinde pergit alias quoque enumerare Pythiades, quas pariter inde ab Ol. 48, 3 computat. Cfr. Boeckh, Expl. ad Pind. p. 207. Etiam auctor Marm. Par., qui ἀγῶνα χρηματίτην a. 590 celebratum esse dicit, ita cum Pausania consentit, ut ἀγῶνα στεφανίτην a. 582 (Ol. 47, 3) institutum esse tradat, siquidem recte numerus in C. J. Gr. a Boeckhio expletus est. Scholiastae vero ad Pind. Pyth. Introd. ludos coronarios sexto post Cyrrham captam anno, Damasia Athenis archonte, institutos esse narrant, quod tamen credibile non est, quia illos ludos quovis tertio cuiusque Olympiadis anno celebratos esse constat. Ceterum etiam ipsi Scholiastae (ad Pind. Pyth. III. 1 et ad Olymp. XII. 1) Pythiadum numeros ab Ol. 49, 3 deducunt. Cfr. etiam Euseb. chron. II. p. 94 ed. Schoene. Equidem ludos pecuniarios illo anno, sive is annus a. Chr. n. 590 sive 586 fuit, celebratos esse existimo, quo ex vetere more ludi musici celebrandi erant, neque igitur certi quidquam de tempore belli sacri ex tempore τοῦ ἀγῶνος στεφανίτου concludi posse. Potuit enim Cirrha a. 590 expugnari et tamen ille ἀγὼν στεφανίτης — quamvis ne hoc quidem plane constet — anno 586 celebrari. Cfr. Moeller, der kriss. oder der erste hl. Krieg in Griech. p. 11 sq. Cfr. de computatione Pythiadum A. Boeckh., Expl. Pind. p. 206 sq.; Hermann, Gottesdienstl. Altert. §. 49, 7; Schoemann, Griech. Alt. II³. p. 67; Antiquitates iuris publ. Graec. (Gryphisw. 1838) p. 380 n. Aliter illas computant, sed minus recte: C. Müller, Fragm. chronol. Introd. p. 121; Buergel, Die pyl.-delph. Amphikt. p. 156. — Preller (Ausgew. Aufs. p. 237 n. coniicit, Hippiam Atheniensem esse, sed Schol. Pind. Pyth. Introd. illum diserte Thessalum esse dicunt.

[1]) ap. Plut. V. c. 11.

[2]) Philippi, Der Areopag u. die Epheten (Berlin 1874) p. 232, n. Cfr. tamen Zelle, Beiträge zur ält. Verf. Athens p. 37.

[3]) ap. Plut. l. l.

[4]) Quare non assentior Kramero, qui Strab. IX. 3, 4 (p. 418 C.), ubi de interitu Cirrhae et Crissae, quas urbes ille auctor confundit, ita scriptum videmus:

interesse non potuit, quoniam a. a. Chr. n. 594 archon electus est. Attamen Pausanias,[1]) quem Suidas[2]) sequitur, foederatos consiliis Solonis illo bello usos esse tradit. Pythiam enim illis consulentibus, num et qua ratione Cirrham capere possent, astute hoc responsum dedisse:

Οὐ πρὶν τῆσδε πόληος ἐρείψετε πύργον ἑλόντες
πρίν κεν ἐμῷ τεμένει κυανώπιδος Ἀμφιτρίτης
κῦμα ποτικλύζῃ κελαδοῦν ἱεραῖσιν ἐπ' ἀκταῖς.[3])

Deinde Solonem Amphictyonibus persuasisse, ut deo terram Cirrhaeorum dedicarent, quo fines agri sacri mare attingerent. Praeterea Pausanias et Suidas Soloni etiam illum dolum adscribunt, quo Cirrha tandem capta esse dicitur. Aquam Plisti fluminis, inquit Pausanias,[4]) per aquaeductum in urbem influentem Solo in aliam partem avertit. Sed cum obsidentibus Cirrhaei etiamtunc resisterent sitim aqua puteali et pluviali depellentes, ille veratrum in Plistum coniici iussit atque, ubi aquam veneno satis imbutam intellexit, eam in aquaeductum refluendam curavit. Cirrhaei autem, cum avidius illam aquam bibissent, perpetuo alvi profluvio laborantes moenium praesidium deserere coacti sunt. Amphictyones urbe potiti Cirrhaeis iuste punitis iniurias deo illatas ulti sunt. Quem dolum tamen Thessalus[5]) Nebrum, Frontinus[6]) Clisthenem, Polyaenus[7]) Eurylochum commentum esse tradit. Praeterea quia illa narratio, ut a Pausania traditur, vix credibilis

---

„*ἡ δὲ Κίῤῥα καὶ ἡ Κρῖσα κατεσπάσθησαν, ἡ μὲν . . . . ὕστερον ὑπ' Εὐρυλόχου τοῦ Θετταλοῦ κατὰ τὸν Κρισαῖον πόλεμον*“, verba, quae exciderunt, ita expleri posse coniicit: (*ἡ μὲν*) *πρότερον ὑπὸ Σόλωνος, ἡ δὲ κ. τ. λ.* Cfr. de h. l. A. Westermann, Callisthenis historiae graecae et libri de bello sacro fragm. (Lipsiae). 4° p. 22 sq.; Moeller l. l. p. 16 sq.; Preller, Ausgew. Aufs. p. 236.

[1]) X. 37, 4.

[2]) s. v. *Σόλων.*

[3]) Diod. exc. Vat. fr. 23, p. 22 ed. D. (IX. 26 Bekk.) Apud Pausaniam tertium versum ita traditum invenimus: *κῦμα ποτικλύζῃ, κελαδοῦν ἐπὶ οἴνοπα πόντον.*

[4]) X. 37, 5; Suid. l. l.

[5]) l. l. p. 837.

[6]) Strat. III. 7, 6.

[7]) VI. 13.

est,[1]) dubium mihi esse videtur, num omnino duces exercitus Amphictyonici Solonis consiliis bello sacro adiuti sint.

Sine dubio Athenienses bello sacro praeda satis magna potiti sunt, Clisthenes quidem tertia Crissaeorum praedae parte accepta,[2]) Sicyone magnificam porticum exstruxit.[3]) Deinde Solo eo quod auctor belli sacri exstitit effecit, ut Pythia Atheniensibus faveret, quod apud Graecos haud parvi momenti fuisse neminem effugit; atque fortasse inde factum est, ut Solo postea nonnullis Pythiae responsis, in quibus Salamis Ionia dicta erat, in iudicio Lacedaemoniorum contra Megarenses uti posset.

Cylonis seditione oppressa, amicis concisis non solum Salamis insula a Theagene occupata sed etiam discordia Atheniensium in dies vehementer aucta esse videtur. Nam perfidia illa et impietas Megaclis ceterorumque archontum, qui Cylonidas, qui vocantur, e templo subdole elicitos fide laesa interfici iusserant, ne iis quidem parcentes, qui ad aras Eumenidum dearum confugerant,[4]) iram plebis Atticae, quae pio semper honore deos templaque prosequebatur, a Cylone eiusque amicis ad ipsos archontes declinavit. Et hi ipsi et eorum posteri ab Atheniensibus *ἐναγεῖς καὶ ἁλιτήριοι τῆς ϑεοῦ* dicebantur, atque etiam multo post, Clisthenis et Periclis temporibus, Lacedaemonii Alcmaeonidas propter illud crimen eiici voluerunt.[5]) Inprimis nonnulli amici Cylonis, qui, quia mulieres archontum pro iis deprecatae erant, mortem effugerant, plebem iam dudum nobilibus inimicam tunc vero propter illam caedem iram Minervae et Furiarum anxie timentem sine intermissione non solum in archontes, qui fidem pietatemque laesissent, sed etiam sine dubio in omnes nobiles sollicitabant, quippe qui illos iusta poena non affecissent. Sic partium certamina vehementius exar-

---

[1]) Ulrichs, Reisen und Forschungen. I (Bremen 1840) p. 9 coniicit, a Solone flumen salis in aquam Cirrhaeorum ductum esse.

[2]) Schol. Pind. Nem. IX. 2.

[3]) Paus. II. 9, 6.

[4]) Herod. V. 71; Thucyd. I. 126; Heracl. Pont. (Müller Fr. H. Gr. II. p. 208); Paus. VII. 25, 1; Plut. V. Sol. c. 12; Schol. Aristoph. Eq. 443; Suidas s. v. *Κυλώνειον ἄγος*.

[5]) Herod. V. 70; Thuc. l. l.

serunt et sine dubio aucta sunt Salamine denuo amissa,[1] cum plebs omnia mala publica tunc poenas illius flagitii civitatem contaminantis existimaret.[2] Quare cum res publica his partium certaminibus dilacerata in magno periculo esset, et iam nonnulli nobilium, quibus fortasse opes quoque Alcmaeonidarum nimis auctae esse videbantur,[3] propter crimen a Megacle commissum odium plebis amplius ferre nollent, Solo „*ἅμα τοῖς ἀρίστοις τῶν Ἀθηναίων*" in publicum prodiit et piaculo obstrictis persuasit, ut se iudicio trecentorum nobilium subiicerent.[4] Utrum hi 300 viri tunc tantum electi sint[5] an semper illa aetate Athenis consilium publicum 300 nobilium fuerit,[6] incertum est. Equidem hoc puto, quoniam in constitutione Solonea praeter areopagum alterum senatum 400 Atheniensium, *τὴν βουλήν*, quae dicitur, magni momenti fuisse constat; quem senatum a Solone non prorsus excogitatum sed ex illo collegio 300 nobilium commutatum esse coniicio. Praeterea etiam Cleomenes postea Clisthenis temporibus senatum ex 300 amicis Isagorae componere voluit[7] et vetus illud consilium restituere voluisse mihi videtur. Fortasse in illo consilio, quod de Alcmaeonidis sententiam tulit, etiam 60 senatores areopagitici, si eos ita dicere licet, (51 Ephetae et 9 archontes) erant, ita ut

---

1) Plut. l. l.

2) Plut. l. l. *καὶ φόβοι τινὲς ἐκ δεισιδαιμονίας ἅμα καὶ φαντάσματα κατεῖχε τὴν πόλιν.* Diog. L. I. 110 et Max. Tyr. serm. 22 etiam pestilentiam in urbem incidisse narrant. Cfr. tamen Welcker, Kl. Schr. III. p. 39.

3) Cfr. Vischer, Kleine Schriften. I. (Lpz. 1877) p. 393.

4) Plut. V. Sol. c. 12: *ἔπεισε τοὺς ἐναγεῖς λεγομένους δίκην ὑποσχεῖν καὶ κριθῆναι, τριακοσίων ἀριστίνδην δικαζόντων.*

5) Ita sentit Westermann, Das Amnestiegesetz des Solon (Verhdl. der k. sächs. Ges. d. Wiss. zu Lpzg. I. (1849) p. 156 sq. — Zelle, Beitr. zur älteren Verfassungsgesch. Athens (Dresden 1850) Progr. p. 36 haec scribit.: Nicht undenkbar wäre es, daſs nach Art des groſsen Gerichtshofes in Sparta die verschiedenen Behörden und Kollegien zu einem Körper zusammengetreten wären.

6) Scheibe, Zur Erkl. des Beschlusses des Patrocleides (Zeitsch. f. d. Altertumswiss. 1842 p. 207). K. H. Klausen, Ztschr. f. d. Altertumswiss. 1834 p. 335; K. F. Hermann, Staatsaltert. (Hdbg. 1875) § 102, 17; L. Lange, Die Epheten und der Areopag vor Solon p. 27; 51 sq. (Abh. d. k. sächs. Ges. der Wiss. zu Lpzg. VII. 2. [1874] p. 213; 237 sq.); Philippi, Der Areopag u. die Epheten p. 245.

7) Herod. V. 72.

praeter hos etiam 240 alii nobiles in concione populi deligerentur, quini ex unaquaque naucraria ($5 \times 48 = 240$; $240 + 60 = 300$). Utrum illi 300 nobiles interdum in causis extraordinariis et gravissimis iudices sumpti, an in hac una causa iudices facti sint, nescimus. [1])

Myro Phlyensis apud 300 illos iudices Megaclem et qui una cum eo archontes fuerant, reos fecit, qui religionis caede violatae damnati [2]) et e patria expulsi sunt; eorum autem, qui iam ante illud iudicium e vita decesserant, ossa effossa trans fines Atticae proiecta sunt. Sed cum contagio criminis ab illis commissi et nondum expiati etiam in cives, qui viros piaculo obstrictos tam diu in Attica commorari passi essent, vulgata esse crederetur, etiamtunc populus in maximo timore mansisset, nisi tota urbs paulo post lustrata esset. Tum autem Epimenidem, vatem Cretensem, Athenienses arcessiverunt, qui civitatem a Cylonio scelere, quod vocatur, sacrificiis caerimoniisque rite institutis lustravit, [3])

---

[1]) Illos in hac tantum causa singulari iudices sumptos esse putat, Droysen, Allgem. Ztschr. für Gesch. vol. VIII. p. 336.

[2]) Grote-Meißsner II. p. 66 et Duncker VI³. p. 146 putant Megaclem in illo iudicio caedem Cylonidarum ita excusare voluisse ut narraret, quae Plut. l. l. facta esse his verbis memoriae prodidit: *ἐξάψαντας (τοὺς συνωμότας τοῦ Κύλωνος) δὲ τοῦ ἕδους κρόκην κλωστὴν καὶ ταύτης ἐχομένους, ὡς ἐγένοντο περὶ τὰς σεμνὰς θεὰς καταβαίνοντες, αὐτομάτως τῆς κρόκης ῥαγείσης ὥρμησε συλλαμβάνειν ὁ Μεγακλῆς καὶ οἱ συνάρχοντες, ὡς τῆς θεοῦ τὴν ἱκεσίαν ἀπολεγομένης.* Sed neque Thucydides huius rei mentionem facit, neque Herodotus; hic autem mea quidem sententia narratiunculam tam facetam, si ei omnino nota fuisset, vix omisisset; quare posteriore aetate illam fabulam confictam esse arbitror.

[3]) Plat. de leg. I. p. 642 d; Neanthes Cyc. ap. Athen. XIII. c. 78, p. 602 c; Paus. I. 14, 3; Plut. l. l.; praec. ger. reip. c. 27, p. 820 (vol. IX. p. 264 R.); Cic. de leg. II. 11, 28; Diog. L. I. 110; Max. Tyr. serm. 22; Suidas s. v. *Ἐπιμενίδης*; cfr. Ammian. Marc. XXVIII. 4, 5. — Curtius, Griech. Gesch. I⁵. p. 310 aliique dicunt, Epimenidem Solone auctore Athenas vocatum esse. Sed Plutarchus narrat, vates Athenienses dixisse, sacris scelera et piacula expianda significari; itaque Epimenidem arcessitum esse, quem Plato vero et Diog. L. iussu oraculi Delphici Athenas venisse tradunt. Quare recte Kortuem, Gesch. Griech. I. (Hdlbg. 1854) p. 163, n. 242 dicit: „Den Wundermann und reinigenden Bußprediger . . . . . empfahl nicht sowohl Solon als der delphische Gott.“ Oraculum Apollinis enim olim cum Creta quomodocunque connexum fuisse videtur Preller, Ausgew. Aufs. p. 228 sq.); altera ex parte etiam coniunctio Atheniensium cum oraculo Delphico tum satis arta fuisse videtur, certe veteres tradunt,

de quibus hoc loco mihi disserendum non est.[1]) Num Athenis commorans Epimenides magis Solonis, quam alterius cuiusdam commercio usus sit, nescio, licet Plutarchus haec tradat:[2]) *Ἐλθὼν δὲ καὶ τῷ Σόλωνι χρησάμενος φίλῳ πολλὰ προσυπειργάσατο καὶ προωδοποίησεν αὐτῷ τῆς νομοθεσίας.* Sed Hermippus, quem Plutarchus ibi secutus esse videtur,[3]) narrationem amicitiae illorum duorum virorum probabiliter ex epistolis tantum hausit, quae Soloni et Epimenidi adscribuntur, quasque fictas esse nostra aetate vix quisquam negaverit. Itaque valde dubium esse videtur, num Epimenides Solonem in re publica constituenda certis legibus ac institutis adiuverit, praesertim cum facile cognosci possit studium veterum auctorum fingendi, antiquis legumlatoribus religiosorum hominum carminibus et institutis viam praeparatam esse;[4]) sic e. gr. Plutarchus cum multis aliis auctoribus[5]) tradit, etiam Thaletam vel Thaletem, vatem Cretensem, Lycurgi legibus viam praeparasse, et, quod mirum videtur, similibus verbis de illo ac de Epimenide utitur. Tradit enim:

V. Lyc. c. 4:

λόγοι γὰρ ἦσαν αἱ ᾠδαὶ πρὸς εὐπείθειαν καὶ ὁμόνοιαν ἀνακλητικοὶ ..... ὧν ἀκροώμενοι κατεπραΰνοντο λεληθότως τὰ ἤθη ..... ὥστε τρόπον τινὰ τῷ Λυκούργῳ προοδοποιεῖν τὴν παίδευσιν αὐτῶν ἐκεῖνον.

V. Sol. c. 12:

πολλὰ προσυπειργάσατο καὶ προωδοποίησεν αὐτῷ τῆς νομοθεσίας. Καὶ γὰρ εὐσταλεῖς ἐποίησε τὰς ἱερουργίας καὶ περὶ τὰ πένθη πρᾳοτέρους ..... τὴν πόλιν ὑπήκοον τοῦ δικαίου καὶ μᾶλλον εὐπειθῆ πρὸς ὁμόνοιαν κατέστησεν.

Cylonem illud de tyrannide occupanda, Solonem de Salamine recuperanda consuluisse, huncque etiam bellum sacrum movisse.

[1]) De illis sacrificiis et caerimoniis (ut alios auctores praetermittam) egerunt: C. F. Heinrich, Epimenides aus Kreta (Lpz. 1801) p. 86 sq.; C. Hoeck, Kreta III. (Gött. 1829) p. 257 sq.; C. Schultess, De Epimenide Crete. Diss. Gott. Bonnae 1877. 8°.

[2]) V. Sol. c. 12; cfr. Conv. VII. sap. c. 14, p. 158 b (vol. VI. p. 601 R.).

[3]) Begemann, Qnaest. Sol. I. p. 13; Schultess, l. l. p. 9 sq.

[4]) Kortuem, Gesch. Griech. I. p. 164, n. 242.

[5]) quos laudant Mueller, Dorier II². p. 12, n. 5 et H. Gelzer, Lykurg und die delph. Priesterschaft, Rh. Mus. N. F. XXVIII. p. 28, n. 1.

Cum vero ea, quae Plutarchus l. l. de Thaleta narrat, sine dubio ficta sint, etiam iis, quae de Epimenide similibus verbis ac de illo tradit, maiorem vim tribuendam non esse censeo.[1]) Praeterea Epimenides non rei publicae constituendae sed civitatis lustrandae causa ab Atheniensibus vocatus est. Quare si Epimenidem sacra simplicia reddidisse luctumque horridum et barbarum, qui antea apud Athenienses viguerit, maxime autem apud mulieres, temperasse Plutarchus narrat, eas res mihi cum Solonis legibus his de rebus postea latis confudisse videtur. Cum urbis lustrandae tantum causa Epimenides Athenas veniret neque vero cultum reformaturus, etiam ea, quae nostra aetate viri docti de cultu deorum ab illo vate reformato coniecerunt,[2]) maximam partem valde dubia mihi videntur. Sed ut Epimenides eiusmodi nonnulla fecerit, nequaquam certum est, eum in cultu dei cuiusdam reformando vel augendo etiam a Solone adiutum esse. Quid, si re vera aut Epimenides a Solone, aut Solo ab Epimenide in gravi aliqua re adiutus esset, num Platonem nescire potuisse putas, duos illos viros sibi aequales fuisse, cum familiam suam Soloni propinquam esse glorietur? Ille auctor[3]) enim Cliniam Cretensem dicentem facit, Epimenidem decem annis ante bella Persica Athenas venisse, id quod re vera centum annis prius factum est. Nam ut omittam, Epimenidem Ol. 30 natum esse dici[4]) et a nonnullis in numerum septem sapientium receptum esse,[5]) illum Cylonei sceleris expiandi causa Athenas arcessitum esse supra vidimus; a vero autem abhorrere videtur, urbem ante a. a. Chr. n. 500 lustratam non esse. Etiam Diog. L. I. 111 eum Ol. 46 Athenas lustravisse dicit, praeterea Eusebius Ol. 46, 4,

---

[1]) Schultess, l. l. p. 37.

[2]) Cfr. A. Mommsen, Heortol. p. 32; 52 sq.; 62 sq.; Curtius Gr. Gesch. I[5]. p. 311 sq; Schultess p. 34 sq. Quod attinet ad cultum Apollinis, eum magis bello sacro quam per Epimenidem auctum esse existimo. De Epimenide Buzyga cfr. Duncker, l. l. VI[3]. p. 148 n. 3.

[3]) Plat. de leg. I. p. 642 d. Cfr. Clem. Alex. Strom. VI. c. 3. § 31, p. 755 Pott.; Schol. Thucyd. I. 126.

[4]) Suidas s. v. Ἐπιμενίδης.

[5]) Plut. V. Sol. c. 12; conviv. VII. sap. c. 14, p. 157 d. (vol. VI. p. 598 R.); Diog. L. I. 13; 42; Clem. Alex. Strom. I. c. 14. § 59, p. 350 Pott.

Hieronymus Ol. 46, 2, uterque autem id tribus annis ante Solonem archontem factum esse tradit;[1]) Marianus Scotus (Chron. l. I. p. 141) a. mundi 3594 (= a. a. Chr. n. 599), duobus annis ante leges a Solone latas. Quare dubium non est, quin Athenae a vate illo Cretensi paulo antequam Solo leges tulit, lustratae sint.[2]) Plato autem tantopere errare non potuisset, si Epimenides cum Solone artissime coniunctus esset.

Urbe ab Epimenide lustrata partium certamina aliquantulum temporis diminuta quidem, minime vero exstincta sunt, cum semper illa aetate civitas in tres illas notissimas factiones divisa esset. Nam cum Diacrii aere alieno obruti fenore iniquo divitibus dando magis magisque ad inopiam redigerentur, ita ut iam multi domo emigrarent, alii ἑκτημόροι alii servi facti alii in summa egestate essent,[3]) consentaneum est, illos in creditores tam crudeles ac duros magnum odium gessisse novarumque rerum studiosos id maxime egisse, ut rebus fenebribus mutandis aere alieno expedirentur, cum aliter servitutem et perniciem ipsis omnibus imminere recte intelligerent. Plutarchus dicit, audacissimos eorum iam se invicem adhortatos esse, ne illum rerum statum diutius tolerarent, sed ut unum virum fidum ducem eligerent, agros dividerent, totum rei publicae statum everterent.[4]) Parali autem, eodem auctore testante, medium quiddam inter Diacrios et Pediaeos, qui maximam partem Eupatridae erant, tenentes sine dubio rei publicae administrandae compotes fieri studebant. — Solonem in illis partium certaminibus unius factionis causam prorsus secutum esse, probari non potest; mediocritatem quandam autem tenuisse videtur et inter Eupatridas et plebem, et inter divites et pauperes.

---

[1]) Euseb. chron. II. p. 92; 93 ed. Schoene.

[2]) Suidas s. v. Ἐπιμενίδης id Ol. 44 factum esse dicit, ubi tamen Westermann (Biogr. p. 72) legit μϛ´ — Omnes fere recentiores docti illam lustrationem a. a. Chr. n. 596 peractam esse statuunt: Heinrich l. l. p. 17; 87; Hoeck, Kreta. III. p. 257; Fischer, Griech. Zeittfln. p. 112; Kortuem, Gesch. Griech. I. p. 164; Bohren, Philol. XXX. p. 183, n. 13; Curtius, Griech. Gesch. I⁵. p. 310; Duncker, Gesch. des Alt. VI³. p. 148. — Corsini, Fasti Att. III. p. 72 urbem Philombroto archonte lustratam esse statuit.

[3]) Plut. V. Sol. c. 13; Sol. fragm. 4, v. 23 sq.; 36, 3 sq. B.

[4]) Cfr. etiam Sol. fr. 4. v. 7, v. 21.

Quid enim de libertate plebi concedenda senserit, ex hoc disticho [1]) cognoscimus:

Δῆμος δ' ὧδ' ἂν ἄριστα σὺν ἡγεμόνεσσιν ἕποιτο,
μήτε λίην ἀνεθεὶς μήτε πιεζόμενος.

Praeterea Solo apud Plutarchum [2]) dicit, se cunctanter ad rem publicam capessendam accessisse deterritum aliorum habendi cupiditate aliorum insolentia.

Nihilominus dubitare non possumus, quin rebus, quas supra enarravimus, gestis magis plebis, quam nobilium laudem sibi comparaverit; nam ut bellum contra Megarenses renovaretur, Megacles cum consortibus iusta poena afficeretur, non magis Eupatridae, quam Parali ac Diacrii optaverant. Deinde divites, in quorum numero maxima Eupatridarum pars erat, de bonis iniuste acquisitis obiurgat illorumque avaritiam a diis punitum iri his verbis docet:

Πλοῦτον δ' ὃν μὲν δῶσι θεοί, παραγίγνεται ἀνδρὶ
ἔμπεδος ἐκ νεάτου πυθμένος εἰς κορυφήν·
ὃν δ' ἄνδρες μετίωσιν ὑφ' ὕβριος, οὐ κατὰ κόσμον
ἔρχεται, ἀλλ' ἀδίκοις ἔργμασι πειθόμενος
οὐκ ἐθέλων ἕπεται· ταχέως δ' ἀναμίσγεται ἄτῃ.

. . . . .

πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται·
οἳ γὰρ νῦν ἡμέων πλεῖστον ἔχουσι βίον,
διπλασίως σπεύδουσι· τίς ἂν κορέσειεν ἅπαντας;
κέρδεά τοι θνητοῖς ὤπασαν ἀθάνατοι·
ἄτη δ' ἐξ αὐτῶν ἀναφαίνεται, ἣν ὁπόταν Ζεὺς
πέμψῃ τισομένην, ἄλλοτε ἄλλος ἔχει. [3])

Alio loco dicit:

Τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται. [4])

Neque praetermittenda est hoc loco praeclara illa elegia, quam Demosthenes [5]) laudat, in qua tristi rei publicae statu et

---

1) fr. 6. B.
2) V. Sol. c. 14.
3) fr. 13, v. 9—13; v. 71—76. B.
4) fr. 8. B.
5) XIX, § 254; fragm. 4. B.

miseria pauperum descriptis diserte postulat, ut novis legibus melius res publica ordinetur. Quare haec elegia digna mihi esse videtur, quae integra hoc loco adscribatur:

Ἡμετέρα δὲ πόλις κατὰ μὲν Διὸς οὔποτ᾽ ὀλεῖται
αἶσαν καὶ μακάρων θεῶν φρένας ἀθανάτων·
τοίη γὰρ μεγάθυμος ἐπίσκοπος ὀβριμοπάτρη
Παλλὰς Ἀθηναίη χεῖρας ὕπερθεν ἔχει·
αὐτοὶ δὲ φθείρειν μεγάλην πόλιν ἀφραδίῃσιν
ἀστοὶ βούλονται χρήμασι πειθόμενοι,
δήμου θ᾽ ἡγεμόνων ἄδικος νόος, οἷσιν ἑτοῖμον
ὕβριος ἐκ μεγάλης ἄλγεα πολλὰ παθεῖν·
οὐ γὰρ ἐπίστανται κατέχειν κόρον οὐδὲ παρούσας
εὐφροσύνας κοσμεῖν δαιτὸς ἐν ἡσυχίῃ

* * *

πλουτοῦσιν δ᾽ ἀδίκοις ἔργμασι πειθόμενοι

* * *

οὔθ᾽ ἱερῶν κτεάνων οὔτε τι δημοσίων
φειδόμενοι κλέπτουσιν ἐφ᾽ ἁρπαγῇ ἄλλοθεν ἄλλος,
οὐδὲ φυλάσσονται σεμνὰ θέμεθλα Δίκης,
ἣ σιγῶσα σύνοιδε τὰ γιγνόμενα πρό τ᾽ ἐόντα,
τῷ δὲ χρόνῳ πάντως ἦλθ᾽ ἀποτισομένη·
τοῦτ᾽ ἤδη πάσῃ πόλει ἔρχεται ἕλκος ἄφυκτον·
εἰς δὲ κακὴν ταχέως ἤλυθε δουλοσύνην,
ἣ στάσιν ἔμφυλον πόλεμόν θ᾽ εὕδοντ᾽ ἐπεγείρει,
ὃς πολλῶν ἐρατὴν ὤλεσεν ἡλικίην·
ἐκ γὰρ δυσμενέων ταχέως πολυήρατον ἄστυ
τρύχεται ἐν συνόδοις, τῆς ἄδικ᾽ ἐστὶ φίλα.
ταῦτα μὲν ἐν δήμῳ στρέφεται κακά· τῶν δὲ πενιχρῶν
ἱκνοῦνται πολλοὶ γαῖαν ἐς ἀλλοδαπὴν
πραθέντες δεσμοῖσί τ᾽ ἀεικελίοισι δεθέντες,
καὶ κακὰ δουλοσύνης στυγνὰ φέρουσι βίᾳ.
οὕτω δημόσιον κακὸν ἔρχεται οἴκαδ᾽ ἑκάστῳ,
αὔλειοι δ᾽ ἔτ᾽ ἔχειν οὐκ ἐθέλουσι θύραι,
ὑψηλὸν δ᾽ ὑπὲρ ἕρκος ὑπέρθορεν, εὗρε δὲ πάντως,
εἰ καί τις φεύγων ἐν μυχῷ ᾖ θαλάμου.
ταῦτα διδάξαι θυμὸς Ἀθηναίους με κελεύει,
ὡς κακὰ πλεῖστα πόλει δυσνομία παρέχει,

εὐνομία δ' εὔκοσμα καὶ ἄρτια πάντ' ἀποφαίνει,
καὶ θαμὰ τοῖς ἀδίκοις ἀμφιτίθησι πέδας·
τραχέα λειαίνει, παύει κόρον, ὕβριν ἀμαυροῖ,
αὐαίνει δ' ἄτης ἄνθεα φυόμενα,
εὐθύνει δὲ δίκας σκολιὰς ὑπερήφανά τ' ἔργα
πραΰνει, παύει δ' ἔργα διχοστασίης,
παύει δ' ἀργαλέης ἔριδος χόλον, ἔστι δ' ὑπ' αὐτῆς
πάντα κατ' ἀνθρώπους ἄρτια καὶ πινυτά.[1])

Qua elegia satis probatur, non solum quam ingenuus, fortis, patriae amans, sed etiam quanta auctoritate Solo iam ante legumlationem fuerit; sine dubio autem eodem carmine eius laus popularis magis aucta est.

Postremo autem tantopere plebs liberali eius ingenio confidebat, ut ad eum unum omnia deferri vellet,[2]) cum alia ratione nobilium dominationem everti non posse putaret. Neque ignorabant Athenienses, quantopere Megarorum et Corinthi opes Theagenis et Cypselidarum opera auctae essent, quam multa Sicyoniorum plebs Clistheni deberet, quam feliciter et audacter tum Pittacus, Mitylenensis plebis dux, bellum contra duros optimates gerere iam coepisset, quantopere denique omnes illius temporis tyranni imprimis plebe adiuvante potestatem et auctoritatem nobilium infregissent. Graeci autem illius aetatis non iam experti erant, quae postea in tyrannis vituperata sunt. Praeterea etiam in hoc animum intendas velim, quod tunc Athenienses una cum Eurylocho et Clisthene bellum sacrum gerebant, quo factum esse mihi videtur, ut nomen tyranni minus odio esse inciperet et plebs commoda imperii unius viri cognosceret; certe postea Cirrha Clisthenis maxime opera capta est.[3]) Utcunque autem se res habet, animi Atheniensium ex Cylonis tempore valde mutati erant; contra illum enim tyrannidem occupare tentantem plebs statim arma ceperat,[4]) tunc vero, viginti fere annis post, exoptavit, ut Solo tyrannus existeret; quamquam hoc maxime propterea factum esse videtur, quod hic bonitate et altitudine animi sibi civium animos conciliaverat. Cum

[1]) fragm. 4. B.
[2]) Diog. L. I. 49.
[3]) Schol. Pind. Nem. IX. 2.
[4]) Thucyd. I. 126.

autem nobiles magis magisque a plebe premerentur, sine dubio haud pauci eorum intellexerunt, plebi in quibusdam postulatis cedendum esse, nisi belli civilis eventum experiri vellent; sin autem res ad arma venisset, nobiles in summo periculo fuissent, praesertim cum illo tempore res publica tribus bellis (contra Megarenses, Mitylenaeos, Cirrhaeos) implicita esset. Sperasse autem videntur, Solonem, si rei publicae praefectus esset, nobili genere natum, nobilium causam et auctoritatem non plane neglecturum esse. Plutarchus quidem narrat, illum divitibus pergratum fuisse, quod locuples, pauperibus, quod probus esset; etiam dictum eius: „aequitatem minime bellum efficere“ in ore omnium fuisse neque minus locupletibus quam pauperibus placuisse, cum illi sperarent, Solonem in aequatione iuris ipsorum dignitatis ac virtutis diligenter rationem habiturum esse, hi vero eam numero singulorum civium et omnino aequali iure legis illum dimensurum esse;[1]) itaque utriusque partis principes Soloni tyrannidem obtulisse monentes, ut audacius rerum potiretur; etiam eos, qui neutrius partis essent, in quorum numero maior pars Paralorum fuisse mihi videtur, statum rei publicae difficillime solis legibus mutari posse ratos non ab uno cive eoque iustissimo ac prudentissimo rei publicae praeficiendo abhorruisse.[2]) Sin autem Plutarchus hoc loco putare videtur, etiam divites ac nobiles Soloni tyrannidem obtulisse, hanc rem ita se habere, vix cuiquam persuadeat. Maxime autem nonnulli ex Solonis amicis, in quorum numero erant Dropides, eius propinquus, cuius prudentiam ipse laudat,[3]) Conon, Clinias, Hipponicus,[4]) eum adhortati esse videntur, ne imperio potiri cunctaretur. Neque incredibile est, illis auctoribus Soloni ab Apolline hoc oraculum datum esse:

---

[1]) Plut. V. Sol. c. 14. Fortasse illo dicto et bona spe, quam utraque pars de Solone conceperat, postea narratio orta est, quam Phanias Lesbius ap. Plut. l. l. memoriae prodidit: Solonem ad rem publicam servandam dolo utramque partem fefellisse clam pollicitum inopibus bonorum distributionem, pactorum confirmationem locupletibus. Cui narrationi fidem non habeo, quia Solonem iniusta ratione rei publicae praeponi noluisse infra patebit.

[2]) Plut. V. Sol. c. 14. Cfr. Arist. or. 46 (vol. II. p. 360 ed. Dind.)

[3]) Fragm. 22. B.; Plat. Tim. p. 20 e; Charm. p. 157 e.

[4]) Plut. V. Sol. c. 15.

Ἧσο μέσην κατὰ νῆα κυβερνητήριον ἔργον
εὐθύνων· πολλοί τοι Ἀθηναίων ἐπίκουροι. [1])

Etiam Cylonem, ut tyrannidem occuparet, Pythia adhortata esse dicitur; [2]) Solonem autem civitati Atheniensi praeponi sacerdotibus Delphicis sine dubio pergratum erat, cum ille eorum causam defendens bellum sacrum movisset.

Ac perpauci, si in eadem causa ac Solo fuissent, omnem ambitionem reprimentes tyrannidem recusassent; quare ipse in carmine post leges latas iambicis versibus conscripto dicit:

κέντρον δ' ἄλλος ὡς ἐγὼ λαβών
κακοφραδής τε καὶ φιλοκτήμων ἀνήρ
οὔτ' ἂν κατέσχε δῆμον, οὔτ' ἐπαύσατο,
πρὶν ἂν ταράξας πῖαρ ἐξέλῃ γάλα. [3])

Profecto multa argumenta Solo afferre poterat, cur, si ita fecisset, imperio potitus esset. Ac primum quidem cives ipsos ab eo petivisse, ut imperium occuparet, supra vidimus; tum a Melantho et Codro regibus oriundus, si dominatu potitus esset, quodammodo ius suum persequi videri poterat; deinde dominatum tenens multo facilius atque expeditius rem publicam, quemadmodum ipsi placeret, componere poterat. In nulla enim civitate, in qua tyrannus nondum exstiterat, nobiles aequis plebis postulationibus satis concesserant, neque Eupatridae Attici meliores habendi erant nobilibus ceterarum civitatum Graeciae. Sed neque impensis precibus amicorum nec desiderio multorum civium neque ulla alia ratione Solo commoveri potuit, ut dominatum invaderet; [4]) itaque summa abstinentia usus est sua commoda suasque rationes saluti patriae postponens. Nam haud ignorans, tyranno aut plebe aut nobilibus nitendum esse, timuit ne altera parte ipsius institutis repugnante, res publica acerrimo bello civili aliquamdiu dilaceraretur.

---

[1]) Plut. V. Sol. c. 14.

[2]) Thuc. I. 126; Schol. Aristoph. Eq. 443. Cfr. etiam, quae de Cypselo ap. Herod. V. 92 traduntur.

[3]) Fragm. 36, v. 18 sq.

[4]) Plut. V. Sol. c. 14; Conv. VII sap. c. 2, p. 147 c. (vol. VI. p. 557 R.).

Εἰ γὰρ ἤθελον, inquit,
ἃ τοῖς ἐναντίοισιν ἥνδανεν τότε,
αὖτις δ' ἃ τοῖσι νφτέροις, δρᾶραι δίχα,
πολλῶν ἂν ἀνδρῶν ἥδ' ἐχηρώθη πόλις.
τῶν οὕνεκ' ἀρχὴν πάντοθεν κυκεύμενος
ὡς ἐν κυσὶν πολλοῖσιν ἐστράφην λύκος. [1])

Etiam amicis dixisse fertur, tyrannidem pulchrum quidem locum esse nec vero habere exitum. [2]) Qua de re quomodo illo tempore multi Atheniensium, imprimis eius amici, iudicaverint, ipse versibus ad Phocum scriptis sic persequitur:

Οὐκ ἔφυ Σόλων βαθύφρων οὐδὲ βουλήεις ἀνήρ·
ἐσθλὰ γὰρ θεοῦ διδόντος αὐτὸς οὐκ ἐδέξατο·
περιβαλὼν δ' ἄγραν, ἀγασθεὶς οὐκ ἐπέσπασεν μέγα
δίκτυον, θυμοῦ θ' ἁμαρτῇ καὶ φρενῶν ἀποσφαλείς·
ἤθελον γάρ κεν κρατήσας, πλοῦτον ἄφθονον λαβὼν
καὶ τυραννεύσας Ἀθηνῶν μοῦνον ἡμέραν μίαν,
ἀσκὸς ὕστερον δεδάρθαι κἀπιτετρῖφθαι γένος. [3])

Quantam vero laudem tyrannide non occupata meruisse sibi videatur, his verbis exprimit:

Εἰ δὲ γῆς ἐφεισάμην
πατρίδος, τυραννίδος δὲ καὶ βίης ἀμειλίχου
οὐ καθηψάμην, μιάνας καὶ καταισχύνας κλέος,
οὐδὲν αἰδεῦμαι· πλέον γὰρ ὧδε νικήσειν δοκέω
πάντας ἀνθρώπους. [4])

Videmus igitur, Solonem a tyrannide abhorrere maxime ea de causa, quod neque occupari neque obtineri eam posse putabat, nisi caede atque exilio civium. Cum igitur constanter tyrannidem recusaret et difficiliorem quidem sed honestiorem viam praeferret rei publicae legibus, quae antea a civibus acceptae essent, constituendae a. a. Chr. n. 594 [5]) electus est *ἄρχων ὁμοῦ καὶ διαλλακτὴς*

---

[1]) Fragm. 37. B.

[2]) Plut. V. Sol. c. 14.

[3]) Fragm. 33. B.

[4]) Fragm. 32. B.

[5]) Hunc annum testatur Sosicrates ap. Diog. L. I. 62; in eadem Olympiade, anno accuratius non definito, Solonis leges collocant: Tatian. or. ad. Graec p. 160

καὶ νομοθέτης. [1]) Quoniam autem de eius legibus ac institutis iam multa a viris doctis scripta sunt, hoc loco illa omittere posse mihi videor, hoc tantum commemorans, Solonem mea quidem sententia uno anno omnes leges suas ferre non potuisse, quare illum etiam, postquam archon fuit, aliquamdiu *τῆς πολιτείας διορθωτὴν καὶ νομοθέτην* [2]) mansisse statuo. Quo munere autem quam diu functus sit, incertum est. [3])

---

ed. Otto; Clem. Alex. Strom. I. c. 14 § 65, p. 354 Pott; Cyrill. adv. Jul. I. p. 12. — Euseb. Chron. II. p. 92 Solonem Ol. 47, 3 legislatorem fuisse dicit, Hieronymus l. l. p. 93 Ol. 47, 1, Marianus Scotus (Chron. I. p. 142) anno mundi 3596 = a. a. Chr. n. 597. Demosthenes ab anno 343 usque ad Solonem annos 240 numerat (343 + 240 = 583; Demosth. XIX. § 251; A. Schaefer, Abriſs der Quellenkunde I³. Lpz. 1882. p. 89), illumque oratorem secutus est Scholiastes ad Plat. p. 380 ed. Bekk. Sed quoniam circiter a. 582 septem sapientes renunciati esse putabantur (Diog. L. I. 22), fortasse Demosthenes de hoc tempore cogitavit. Quamquam apud Aulum Gellium XVII. 21 Solo leges scripsisse dicitur Tarquinio Prisco Romae regnante, anno regni eius tricesimo tertio. Diodorus autem ap. Ulpianum (ad Demosth. c. Timocr. p. 243 b) Solonem 47 annis post Draconem archontem leges tulisse censet: *Ἰστέον, ὅτι ὁ μὲν Σόλων ἐγένετο ἐπὶ τῶν χρόνων τῶν τυράννων ἐν ταῖς Ἀθήναις πρὸ τῶν Περσικῶν χρόνων, ὁ δὲ Δράκων πρὸ αὐτοῦ ἑπτὰ καὶ τεσσαράκοντα ἔτεσιν, ὥς φησιν ὁ Διόδωρος.* Quoniam enim hoc loco et Solo et Draco commemoratur, Diodorus mihi de tempore, quo uterque archon fuerit, cogitasse videtur. Draco autem Ol. 39, 4 leges tulit (Euseb. Chron. II. p. 90 ed. Schoene; cfr. Tatian. l. l.; Clem. Alex. Strom. I. c. 16 § 80, p. 366 Pott.; Suid. s. v. *Δράκων*). Itaque Diodorus viginti annis a ceteris auctoribus discrepans Solonem a. 574 archontem fuisse putare videtur; id quod certe verisimilius est, quam Draconem archontem ab illo auctore in anno 641 collocari, praesertim cum etiam de aetatis anno, quem Solo attigerit, veteres rerum scriptores viginti annis inter se discrepent. Tzetzes, Chil. V. 350 septem tantum annos inter leges a Solone et a Dracone latas intercessisse arbitratur; denique Suidas tradit: *Σόλων γέγονε ἐπὶ τῆς μϛ´* (a. a. Chr. n. 592—588) — id quod congruit cum iis, quae Eusebius et Hieronymus hac de re tradunt — *οἱ δὲ νϛ´* (a. 556—552), ubi mihi ille auctor, nisi numerus librariorum errore ex *μϛ´* corruptus est, legumlationem cum morte Solonis confudisse videtur. Cfr. Rhode, Rh. Mus. N. F. XXIII (1878), p. 183 sq.

[1]) Plut. V. Sol. c. 14; Amat. p. 763 (vol. IX. p. 60 R.); cfr. Aelian. V. H. VIII. 10; Justin. II. 7.

[2]) Plut. V. Sol. c. 16.

[3]) Duncker, Gesch. d. Alt. VI³. p. 238, n. 3 Solonem decem annis leges tulisse coniicit.

Postea Solo leges, quas Atheniensibus tulerit, etiam versibus hexametris exponere coepisse traditur, quorum exordium hoc fuerit:

Πρῶτα μὲν εὐχώμεσθα Διὶ Κρονίδῃ βασιλῆϊ,
θεσμοῖς τοῖσδε τύχην ἀγαθὴν καὶ κῦδος ὀπάσσαι. [1])

Sed ipse Plutarchus [2]) num haec narratio vera sit, dubitare videtur; praeterea Aristides [3]) et Suidas [4]) et Diogenes [5]) satis clare indicant, leges a Solone non oratione devincta sed soluta conscripta esse, neque ulla lex Solonis astricta oratione expressa memoriae prodita est. Quare illi duo versus mihi postea a versificatore quodam contexta esse videntur, qui sciebat et leges Charondae versibus expressas esse et Solonem multa carmina de rebus ad rem publicam pertinentibus condidisse. [6])

III. De Solonis itineribus.

Cum autem Solo leges tabulis inscriptas in publico collocasset civesque obligasset, ne eas intra decem annos mutarent, [7]) Plutarchus [8]) cotidie quosdam Solonem adiisse narrat, qui illas aut laudarent aut vituperarent, alios eum etiam monuisse, ut hanc vel illam legem tabulis adderet aut aboleret, alios ab eo explicationes legum petiisse, atque ita Solonem ipsum expertum esse, quam vera haec ipsius verba essent:

Ἔργμασιν ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν. (Fragm. 7. B.)

---

[1]) Fragm. 31. B.

[2]) V. Sol. c. 3: *Ἔνιοι δέ φασιν, ὅτι καὶ τοὺς νόμους ἐπεχείρησεν ἐντείνας εἰς ἔπος ἐξενεγκεῖν κ. τ. λ.*

[3]) or. 46 (vol. II. p. 361 Dind.): *τοὺς δὲ νόμους οὐκ ᾖδε περιιών.*

[4]) s. v. *Σόλων.*

[5]) I. 61.

[6]) Sitzler, l. l. p. 13; Bergk, Poet. lyr. gr. II⁴. p. 53 ad fragm. 31.

[7]) Herod. I. 29; Tzetz. Chil. V. 359; Eudocia, s. v. *Σόλων* p. 651 ed. Flach. Demetr. Tricl. ad Soph. Trach. init. — Plutarchus autem hac de re ita tradit: *Ἰσχὺν δὲ τοῖς νόμοις πᾶσιν εἰς ἑκατὸν ἐνιαυτοὺς ἔδωκεν.* Aul. Gellias N. A. II. 12 dicit, Athenienses, ut leges sempiternae manerent, poenis et religionibus sanxisse.

[8]) V. Sol. c. 25; Cfr. Comp. Sol. et Popl. c. 3.

Ex illis difficultatibus ut se expediret, per causam mercaturae maritimae illum a civibus petiisse, ut per decennium sibi domo abesse liceret ac deinde nave conscensa Athenis profectum esse. Sed vix credibile est, Soloni licentiam proficiscendi a populo expetendam fuisse; etiam causa, quam Solo simulasse dicitur, a docto quodam excogitata esse videtur, probabiliter ab Hermippo, qui Solonem iam antequam archon fuisset mercaturam fecisse narraverat; neque maiorem vim tribuendam esse puto iis verbis Plutarchi, quibus narrat, quae re vera causa fuerit, qua commotus Solo Athenas post leges latas reliquerit. Accedit quod Herodotus [1]) Solonem „*κατὰ θεωρίης πρόφασιν*", „*τῆς θεωρίης εἵνεκεν*" peregrinatum esse tradit. Sane hic auctor quoque Solonem re publica legibus firmata statim peregrinatum esse his verbis confirmat: *καὶ δὴ καὶ Σόλων ἀνὴρ Ἀθηναῖος, ὃς Ἀθηναίοισι νόμους κελεύσασι ποιήσας ἀπεδήμησεν ἔτεα δέκα, κατὰ θεωρίης πρόφασιν ἐκπλώσας, ἵνα δὴ μή τινα τῶν νόμων ἀναγκασθῇ λῦσαι τῶν ἔθετο κ. τ. λ.* Atqui idem rerum scriptor statim pergit narrans, Solonem in illo itinere Amasim, Aegyptiorum regem, et Croesum, Lydorum regem, convenisse; Amasis autem, ad quem primum profectus esse dicitur, anno a. Chr. n. 570 demum regnum suscepit, Croesus circiter a. 563 rex factus esse mihi videtur. Deinde Plutarchus alio loco [2]) Platonem [3]) secutus Solonem non multo ante Pisistrati tyrannidem Athenas revertentem facit. Denique etiam Lycurgus legibus latis peregre profectus esse traditur, ne cogeretur leges mutare; [4]) itaque etiam de Solone eadem causa itinerum conficta esse mihi videtur. Quae cum ita sint, verisimile est, Solonem, postquam leges tulerit, non statim Athenis discessisse [5]) sed aliquamdiu ibi mansisse. Neque enim eum effu-

---

[1]) I. 29. Cfr. I. 30: *Αὐτῶν δὴ ὦν τούτων καὶ τῆς θεωρίης ἐκδημήσας ὁ Σόλων εἵνεκεν κ. τ. λ.*

[2]) V. Sol. c. 29.

[3]) Tim. 21. c. Cfr. Procl. in Plat. Tim. 29 a—b: *ἀναστρέψας δὲ κατέλαβε τὴν πόλιν ὑπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν ταραττομένην.*

[4]) Plut. V. Lyc. c. 29; 31; Justin. III. 3.

[5]) Herodotum et Plutarchum hac in re sequuntur Tzetzes, Chil. V. 359 sq.; Eudocia s. v. *Σόλων* p. 651 ed. Flach; Elias Cret., Comm. in S. Gregor.

gere poterat, temporibus turbulentis industriam unius viri patriae amantis atque auctoritate praecellentis rei publicae multo maiori utilitati esse, quam legum literas.[1]) Quare postea, circiter a. 570, cum sine dubio numerus eorum, qui legibus ab eo latis haud contenti statum rei publicae mutare vellent, iam satis auctus esset, cum Pisistratus Nisaea capta rebusque aliis praeclare gestis iam dux plebis existere coepisset, partiumque certamina denuo vehementius exardescerent, dolore vel taedio commotus in Africam Asiamque peregrinatus esse mihi videtur. Frustra enim legibus pacem civium conciliare partiumque certamina dirimere studuerat. Cum enim, quae cuique factioni, cuique ordini iusta essent, tribuere voluisset, paucis satisfecerat. Quod etiam ex carminibus eius cognoscitur, cum ex illis, quibus se contra eos, qui eum vituperarant, quod tyrannidem non occupasset, defendit, tum ex illo praeclaro carmine, quo, ut adversarios confutet, de beneficiis, quae civitati, maxime pauperibus, legibus tribuerit, deque moderantia sua iure gloriatur.[2])

Postquam igitur iam iudicio Lacedaemoniorum, in quo Solo causam Atheniensium dixit, Salamis Atheniensibus adiudicata est, eum nonnullos annos[3]) Athenis abfuisse verisimile est. Atque primum quidem in Aegyptum profectus[4]) ibique aliquamdiu commoratus est

Νείλου ἐπὶ προχοῇσι Κανωβίδος ἐγγύθεν ἀκτῆς.[5])

Naz. or. III. p. 159 b. ed. Bill; Nonnus, Coll. hist. I. 20; cfr. Procop. Epist. 66 (Epistologr. gr. ed. Hercher).

1) Thirlwall-Schmitz, Gesch. v. Griech. II. p. 59.

2) Fragm. 36. B.

3) Dubitandum est, num Solo iter d e c e m annorum fecerit; nam Graecos promptos fuisse ad illum numerum fingendum iam supra monui. Praetera Solo per decem annos domo abfuisse fortasse propterea putabatur, quod veteres eum statim post leges latas, quas Athenienses per decem annos se observaturos esse iurasse dicuntur, peregre profectum esse opinabantur.

4) Herod. I. 30; Plat. Tim. p. 21. c sq.; Heracl. Pont. fr. 5. (Müller, Fr. H. Gr. II. p. 208); Plut. V. Sol. c. 26; de Is. et Osir. c. 10, p. 354 (vol. VII. p. 397 R.); Sucian Scytha 5; Procl. in Plat. Tim. p. 29 a; Procop. Epist. 66.

5) Fragm. 28. B.

In Aegypto autem Amasim regem convenisse et ab Aegyptiorum sacerdotibus honorifice exceptus esse dicitur.[1]) Cum his philosophatus esse et ab iis cum alias res tum fabulam Atlanticam didicisse traditur. Apud Platonem enim Critias narrat, ante novem milia annorum ab Atheniensibus ingens regnum Atlantidis insulae virtute et constantia devictum esse. Illam insulam autem, in Atlantico mari ante Herculis columnas sitam Asia Africaque maiorem fuisse. Cuius insulae reges, re publica initio optime constituta, multis insulis, Lybia usque ad Aegyptum, Europa usque ad Tyrrheniam subactis, conatos esse etiam ceteras Europae terras et Aegyptum in ditionem suam redigere. Athenienses vero fortiter constanterque illis restitisse, cum aut coniuncti cum Graeciae civitatibus bellum gererent, aut, cum ceteri Graeci discessissent, soli pugnarent, et hostes post diuturnum bellum tandem devictos intra fines suos se tenere coegisse. Atlantidem autem insulam, cuius incolae deorum obliti luxuriae se dedidissent, postea terrae motibus et inundationibus exortis mari submersam evanuisse. Quam narrationem Solonem cum a Saitarum sacerdotibus audivisset, versibus describere statuisse, sed Athenas reversum factionum certaminibus impeditum esse, quominus opus absolveret; quod si fecisset, eum haud minorem gloriam adepturum fuisse quam Hesiodum vel Homerum vel quemlibet alium poetarum.[2]) Illam narrationem Critiae meram

---

[1]) Plut. V. Sol. c. 26 dicit, Heliopoli Solonem commercio Psenophis sacerdotis, Sai Sonchitis usum esse; cfr. Plut. de Is. et Osir. l. l. Apud Proclum (Comm. in Plat. Tim. p. 31 d.) hoc scriptum videmus: *ἐνέτυχε δὲ Σόλων ἐν Σάει μὲν ἱερεῖ ὀνομαζομένῳ Πατενείτ, ἐν Ἡλιουπόλει δὲ Ὠχλάπι, ἐν Σεβεννύτῳ δὲ Ἐθιμών, ὡς αἱ τῶν Αἰγυπτίων ἱστορίαι λέγουσιν.*

[2]) Plat. Tim. p. 21 sq.; Crit. p. 108 sq. Praeterea fabulae Atlanticae mentionem faciunt Platonem secuti: Posidonius ap. Strab. II. 3, 6 p. 102 C.; Diod. Sic. III. 54; Plut. V. Sol. c. 26; 31; 32; non posse suav. vivi sec. Epicur. c. 10 (vol. X. p. 496 R.); Crantor, Marcellus (ap. Procl. C. in Plat. Tim. p. 24 a.); Clem. Alex. Strom. V. c. 9 § 59, p. 681 Pott., Arnob. c. gentes I. p. 5 (p. 11 ed. Cant.); Ammian. Marcell. XVII. 7, 13. Sed iam Plinius Hist. nat. II. 90 (cfr. VI. 31) et Plut. V. Sol. c. 31 de veritate illus narrationis dubitare videntur. Strabo, qui l. l. Possidonii credulitatem cavillatur, cum Amelio, Numenio Porphyrio, Longino (ap. Procl. in Tim. p. 24; 26 c.) fabulam a Platone fictam esse statuunt. Proclus autem Syrianum secutus p. 61 a. sententiam suam ita

fabulam esse ex ingenti numero annorum et immensa magnitudine regni Atlantici liquet. Neque mirandum est, quod Plato nihilominus illam narrationem veram esse dicit, [1]) quoniam haud raro, qui fabulas fingunt, se vera narrare confirmant. Neque Platonem per Aegyptios, Solonem, utrumque Critiam illius fabulae notitiam habuisse puto. Nam Critias maior, qui iam a Solone monetur, ut Dropidae patri obediat, [2]) nonaginta annos natus vix Critiae nepoti illam fabulam, etiamsi illam a Solone didicisset, exponere potuit, quamquam id ille auctor tradit. [3]) Si enim Critiam maiorem circa a. a. Chr. n. 570 natum esse statuimus, — certe post hunc annum natus non est, — anno 480 nonaginta annos natus erat; atqui tunc Critiam minorem iam decem annos natum fuisse vix credibile est; nam a vero abhorrere videtur, illum viginti annis Socrate magistro natu maiorem et anno 404, quo eum tyrannum factum in pugna cecidisse constat, [4]) iam 86 annos natum fuisse. Quae cum ita sint, magni momenti mihi non esse videtur, quod Plato

---

exponit: *οὐκ ἄρα ἦν πλάσμα τὸ περὶ τοὺς Ἀτλαντίνους, ὥς τινες ᾠήθησαν, ἀλλ' ἱστορία μὲν, οἰκείωσιν δὲ ἔχουσα πρὸς τὴν ὅλην κοσμοποιίαν, ὥστε καὶ ὅσα περὶ μεγέθους διῆλθε τῆς Ἀτλαντίδος, οὐκ ἂν ὡς μυθώδη καὶ πεπλασμένα καταγινώσκοιτο παρὰ τῶν τὸ μέγεθος τῆς γῆς εἰς στενὸν κομιδῇ κατακλειόντων.* — De ipsa autem Atlantide insula, quam Plato ultra Herculis columnas sitam iam dudum in mare demersam esse dicit, superioribus temporibus magna fuit inter doctos contentio; alii enim de Suecia, alii de insulis, quas nunc lingua vernacula „Spitzbergen“ vocamus, alii de insulis in mari Atlantico sitis, alii de America, alii de Palaestina, alii de aliis terris vel insulis cogitaverunt. Cfr. Hermann, Gesch. u. Syst. der plat. Philos. I. (Hdlbg. 1839) p. 703 sq.; Steinhart (Platons sämmtl. Werke übers. v. Müller VI. p. 315 sq.; 345 sq.); Martin, Etudes sur le Timée de Platon I. (Paris 1841) q. 257—333. — Tiedemann, Dial. Plat. argum. p. 339 (cfr. p. 304) illam narrationem Atlanticam inter fabulas Romanenses refert putatque Aegyptiorum sacerdotes fabulam finxisse. Eorum, qui post eum hac de re scripserunt, nemo fere dubitat, quin narratio ficta sit praeter A. S. de Noroffio, in libro, qui inscribitur: Die Atlantis nach griechischen und arabischen Quellen. Petersburg-Berlin 1851, qui Atlantidem inter Africam, Syriam, Asiam minorem, Graeciam olim sitam fuisse ostendere posse sibi videtur, rationibus sane inanibus commotus.

[1]) Tim. p. 26 c—e.

[2]) Sol. fragm. 22. B.

[3]) Tim. p. 21 b.

[4]) Xenoph. Hell. II. 4, 19.

Critiam dicentem facit, illam fabulam a Solone ipso magnam partem litteris mandatam adhuc apud se exstare; quis enim eius tabulas domesticas perscrutari potuit? [1]) Ceterum etiam alio loco [2]) idem auctor quaedam litteris mandata esse fingit, ubi vix quisquam ei fidem adhibeat. Sed ut multa alia praetermittam, fabula illa Atlantica haud a disciplina rei publicae optime constituendae a Platone exposita abhorret; imaginem enim civitatis optime constitutae in libris „de Republica" exposuerat; quomodo haec res publica olim effecta esset, Timaei, Critiae, Hermocratis trilogia non ad finem perducta docere ille auctor volebat. Neque igitur sine consilio tempus 9000 annorum indicatur, quia temporum ratio cum mythica Platonis doctrina de decem milium annorum periodis magnis congruit. Quare vix dubium mihi esse videtur, quin neque Aegyptiorum sacerdotes neque Solo, sed ille philosophus, quem etiam alias fabulas finxisse constat, illam fabulam effinxerit, qua in re Persarum regnum et bella ab Atheniensibus cum illis gesta ante oculos habuisse videtur. [3])

Aegypto relicta Solo in Cyprum navigavit, ubi apud regulum quendam aliquamdiu commoratus est, cui a veteribus rerum scriptoribus nomen Philocypro [4]) vel Cypranori [5]) inditur; utrum-

---

[1]) Mueller, Gött. gel. Anz. 1838. p. 380.

[2]) Theaeth. p. 143 a.

[3]) Susemihl, Die genet. Entw. der plat. Philos. II. 2 (Lpz. 1860) p. 468 sq.; cfr. eiusdem censuram libri Noroffii, qui inscribitur: Die Atlantis nach griech. u. arab. Quellen (Petersburg-Berlin 1854), Jahrb. für klass. Philol. vol. LXXI (1855) p. 375 sq.; Mueller-Steinhart, Platons sämtl. Werke. VI. p. 78 sq., 314 sq.; Socher, Ueber Platons Schriften (München 1820) p. 373 sq.; Schwanitz, Quaest. Platonic. spec. II: De Atlantide insula. Progr. (Eisenach 1859) p. 10 sq. — Kleine, Quaest. quaed. de Sol. vita et fragm. p. 7, Stallbaum in edit. Platonis operum VII. p. 375, Ast, Platons Leben und Schriften p. 374, Bergk-Hinrichs, Griech. Literaturgesch. II. p. 270 non Solonem quidem, sed Platonem illam fabulam in Aegypto didicisse coniiciunt. Duncker, Gesch. des Altert. VI^3. p. 249 Solonem in Cypro a Phoenicibus fabulam Atlanticam didicisse putat.

[4]) Herod. V. 113; Plut. V. Sol. c. 26.

[5]) Auctor V. Arati I. p. 53 Westerm. Non assentior Engelio (Kypros I. Berlin 1841 p. 255, n. 7) coniicienti Solonem bis in insula Cypro fuisse, primum apud Cypranorem regulum, postea apud eius filium Philocyprum; nam sine dubio veteres illi auctores eundem regulum significari voluerunt, cuius nomen ignotum alii aliter finxisse videntur.

que nomen fictum esse videtur, quod in utroque „Cyprus“ inest. Plutarchus [1]) narrat, illum regem oppidum non magnum, cui nomen Aepeae [2]) fuerit, tenuisse a Demophonte, Thesei filio, conditum et prope Clarium flumen loco munito quidem sed iniquo atque aspero situm. Solonem vero Philocypro persuasisse, ut, quod campus amoenus subiectus esset, illuc urbem transferret et pulchriorem maioremque exstrueret, et ipsum, cum praesens esset, „τοῦ συνοικισμοῦ“ curam egisse regemque optime adiuvisse in omnibus rebus ad vitam et ad securitatem defendendam necessariis. Quo factum esse, ut multi coloni Philocypro in urbem affluerent et ceteri insulae reges Philocyprum aemularentur. Qua re commotum hunc in Solonis honorem urbem „Solos“ appellasse. [3]) — Sed non omnia, quae Plutarchus de illa re memoriae prodidit, vera sunt; nam a Solonis nomine urbs Soli appellata non est, quia „Sillu“ inter Cypri oppida iam Assarhadonis et Asurbanipalis temporibus in inscriptionibus Assyricis commemoratur. [4]) Illud oppidum igitur cum altero, cui idem nomen est, in Cilicia sito a Phoenicibus conditum esse videtur, quare illud

---

[1]) l. l.

[2]) Idem nomen urbis nobis occurrit in Etymol. M. s. v. *Αἰπεινός* (37, 37 Sylb.); ap. Steph. Byz. s. v. *Αἴπεια*.

[3]) Eadem etiam tradunt auctor V. Arat. I. p. 53 Westerm. et auctor Etymol. M. s. v. *Σόλοι* (p. 721, 45 Sylb.), qui Plutarchum laudat. — Solonem Solos Ciliciae oppidum condidisse tradunt Schol. Plat. p. 420 ed. Bekk.; Steph. Byz. s. v. *Σόλοι*; Eustath. ad. Dionys. Perieg. v. 875. Utramque urbem ab illo conditam esse dicit Suidas s. v. *Σόλοι* et *Σόλων*. Auctores tertiae et quartae vitae Arati (p. 57; 59 sq. ed. Westerm.) Ciliciae Solos a Solone Lindio nomen traxisse referunt; Strabo hanc urbem (XIV. 5, 8 p. 671 C.) *Ἀχαιῶν καὶ Ῥοδίων κτίσμα τῶν ἐκ Λίνδου* esse dicit; cfr. Polyb. XXII. 7; Pompon. Mel. De situ orbis I. 13. Denique Anonymus *περὶ ἀπίστων* (Mythogr. p. 326, 25 sq.) ita tradit: *Ὅτι Κροῖσος μετὰ τὴν τοῦ Σόλωνος ἐρώτησιν ἐν Κιλικίᾳ γεγονὼς Σόλους πόλιν ᾤκησεν, ἐν ᾗ καί τινας τῶν Ἀθηναίων κατῴκισεν κ. τ. λ.* In Etymologio M. s. v. *Σόλοικοι* (p. 721, 49) non legendum esse videtur „*ἀπὸ Σόλωνος Κίλικος*“ sed „*ἀπὸ Σόλων Κιλικίας.*“ Inepte Eustathius C. ad Il. Hom. XXIII, 826 (p. 1332 ed. Rom.) Solonem legislatorem a Solis urbe denominatum esse dicit: *δοκεῖ δὲ καὶ ὁ νομοθέτης Σόλων ἐκεῖθεν παρωνομάσθαι.*

[4]) Schrader, Zur Kritik der Inschriften Tiglath-Pilesar's II, des Assarhadon und des Asurbanipal (Abh. der kgl. Akad. der Wiss. zu Berlin. 1879. Phil.-hist. Kl. VIII. p. 33).

nomen ex lingua Semitica derivandum est. In Hebraeorum lingua autem v. סֶלַע rupem significat, et ab eadem radice, quae in hoc verbo Hebraico inest, Solorum nomen profectum esse videtur significans simile quidem aliquid ac nomen graecum *Αἴπεια*, urbem scilicet in monte praerupto sitam.[1]) Nihilominus illa narratio Plutarchi prorsus reiicienda non est, quia magnam partem ex elegia Solonis ad Philocyprum condita mihi hausta esse videtur. Qualis autem ille *οἰκισμός*, cuius Solo ipse etiam in illo carmine mentionem facit, fuerit, coniici quidem, sed certo dici non potest. Nomen urbis indicat, eam a Phoenicibus in monte conditam esse, quod quodammodo etiam Plutarchus testatur; ibi enim incolae et tutiores ab hostibus piratisque erant, neque a mari procul aberant.[2]) Fortasse autem tunc Solo illi regulo suasit, ut portum, qui erat in ostio Clarii fluminis, muniret et permitteret, ut in hoc emporium etiam coloni externi deducerentur, ita ut urbs Soli neapoli amplificaretur.

---

[1]) H. Kiepert, Lehrb. der alten Geogr. (Berlin 1878) p. 134, n. 3. Eadem de causa etiam urbes illae: *Σολοῦς* in Sicila (Steph. Byz. s. v.), Heraea in Arcadia sita, quarum Heraea *Σολογοργός* quoque olim nominabatur (Steph. Byz. s. v. *Ἥραια*), coloniae Phoenicum vel Cypriorum fuisse mihi videntur. — Strabo, XIV. 6, 3 p. 683. C. mihi errare videtur dicens, Solos, urbem Cypriam, a Phalero et Acamante Atheniensibus conditam esse; fortasse tamen illis ducibus numerus colonorum graecorum satis magnus in veterem illam Phoenicum coloniam deductus est. Quod si iam ante Solonis itinera factum est, fieri etiam poterat, ut ob istam causam Solo in illam urbem se conferret. An tunc, Solone ipso auctore, illi coloni Solos vel Solorum emporium domicilium sibi elegerunt, ita ut, in Solonis carmine ad Philocyprum scripto, ubi „*οἰκισμός*“ quidam commemoratur, de illis Atheniensibus cogitandum sit? An tunc iterum alii coloni Athenienses deducti sunt? Certe Plutarchus multos colonos ad Philocyprum in novam urbem venisse tradit. Cfr. etiam, quae Anonymus libri, qui insribitur *περὶ ἀπίστων* et Schol. Plat. l. l. c. c. de Solis urbe in Cilicia sita et colonis Atheniensibus in eam deductis tradunt, quae fortasse cum Solis Cypri confusa sunt. Utcunque se haec res habet, adhuc urbis in litore Cypri septentrionali prope Callinusam promontorium sitae rudera quaedam exstare dicuntur in vico, cui nomen „Aligora“ est i. e. forum maritimum; etiam valli, per quam Clarius fluit, adhuc nomen Soleae sive Soliae est. Cfr. Mannert, Geogr. der Griechen und Römer VI. 1. p. 565; Engel, Kypros I. p. 75.

[2]) Etiam in Graecia veteribus temporibus urbes eadem de causa saepe satis prope mare condebantur, ita Piraeus Athenarum portus factus est, Cirrha Crissae, Nisaea Megarorum, Lechaeum, Cenchreae, Schoenus Corinthi.

Discedens ab illa urbe Solo Philocyprum, quem Herodotus ab illo praeter omnes tyrannos in carminibus collaudatum esse testatur, his appellat versibus:

Νῦν δὲ σὺ μὲν Σολίοισι πολὺν χρόνον ἐνθάδ᾽ ἀνάσσων
τήνδε πόλιν ναίοις καὶ γένος ὑμέτερον·
αὐτὰρ ἐμὲ ξὺν νηῒ θοῇ κλεινῆς ἀπὸ νήσου
ἀσκηθῆ πέμποι Κύπρις ἰοστέφανος·
οἰκισμῷ δ᾽ ἐπὶ τῷδε χάριν καὶ κῦδος ὀπάζοι
ἐσθλὸν καὶ νόστον πατρίδ᾽ ἐς ἡμετέρην.[2]

Inde in Asiam minorem profectus Sardes Croesum convenisse dicitur;[3] quamquam nihil certi hac in re statui potest, quoniam non prorsus constat, quo anno Croesus rex factus sit. Quod tamen a. a. Chr. n. 564 vel. 563 factum esse, verisimile est.[4] Nam Herodotus, postquam gentes et urbes a Croeso victas enumeravit et colloquium a Solone cum illo habito tradidit, Attyn filium post Solonis discessum interfectum duos annos usque ad Astyagem captum ab illo rege deploratum esse dicit.[5] Itaque si Cyrus a. 558 Medos subegit, Croesus iam nonnullis annis ante a. 560 ad regnum pervenisse videtur. Praeterea templum Delphicum

---

1) V. 113.

2) Sol. fragm. 19. B.

3) Herod. I. 29 sq.; Diod. Exc. Vat. fr. 17, p. 16; fr. 26, p. 25 (IX. 4; 36 Bekk.); Plut. V. Sol. c. 27; Diog. L. I. 50—51; Themist. or. 18, p. 221. d. (p. 270 ed. Dind.); Marcellin. XV. 5, 37; Gregor. Naz. or. III. p. 78. c. ed. Bill. (cfr. Eliae Cret. Comm. in S. Greg. Naz. or. III. p. 159 b. ed. Bill; Nonn. Coll. hist. I. 20); Demetr. Tricl. ad Soph. Trachin. init.; Suid. s. v. *Κροῖσος;* Eudocia 903, p. 652 ed. Flach; Tzetz. Chil. III. 233 sq.; V. 376 sq.; VIII. 193 sq.; Niceph. Greg. Hist. Byz. XIX. 3 (p. 939 ed. Bonn.) Auson. Lud. VII. sap. 301, 11 sq.; qui auctores ostendunt, quantopere narratio ilius colloquii aqud veteres transformata sit.

4) Duncker, Gesch. des Alt. II⁴. (Lpz. 1875) p. 444; IV⁴. (1877) p. 323; Abicht ad Herod. I. 26; 29. — Volney Sardes a. a. Chr. n. 557 captas esse statuit, Georg Rawlison et Maspéro 554, Curtius 547, Clinton aut 548 aut 547 aut 546 aut 545; Grote, Gelzer, Diels 546, Lenormant 545 aut 544, Haigh 542, Heeren circiter a. 540 aut 538, Bosanquet 534. Quae debeo Max. Buedingero, Krösus' Sturz (Sitzungsber. d. Wiener Akad. d. Wiss. XCII [1878] p. 197 sq.), qui ipse, maxime ex Xenophonte probare posse sibi videtur, Lydorum regnum 541 aut 540 eversum esse.

5) I. 34; 46.

Ol. 58, 1 (= a. a. Chr. 548) deflagravit. [1]) Herodotus autem eo loco, quo Croesum regno iam privatum legatos Delphos misisse narrat, illius incendii mentionem non facit; sin autem ille auctor dona a Croeso Apollini dedicata ante Sardes captas incendio laesa esse audivisset, eum hoc omen non praetermissurum fuisse puto.[2]) — Deinde Suidas s. v. *Ἴβυκος* scribit: *χρόνος δὲ ἦν οὗτος ἐπὶ Κροίσου Ὀλυμπιὰς νδ΄;* (Olympias 54, 1 autem est = a. a. Chr. n. 564); etiam Solinus Polyh.[3]) Cyrum Ol. 58 Sardes expugnasse dicit probabiliter primum huius Olympiadis annum significans. Sin Sardes Ol. 58, 1 (= a. 548) captae sunt, Croesus 563 vel. 562 rex factus est, quoniam 14[4]) vel. 15[5]) annos regnasse dicitur. Itaque si illos auctores sequi licet,[6]) fieri poterat, ut Solo a. a. Chr. n. 562 ad Croesum, qui paulo ante rex factus sperabat, se multas res fortiter ac praeclare gesturum esse, veniret illumque doceret, divitiis atque opibus solis mortales beatos non fieri, neque quemquam ante mortem beatum dicendum esse, quippe qui nesciret,

---

[1]) Paus. X. 5, 13.

[2]) Cfr. tamen de his rebus Buedinger, l. l. p. 203 sq.

[3]) c. 7, p. 21 ed. Steph.

[4]) Herod. I. 86.

[5]) Eusel. chron. I. p. 70 ed. Schoene; Syncell. I. p. 455 ed. Bonn; Malal. Chronogr. p. 153 ed. Bonn.

[6]) Apud Suidam s. v. *Ἀναξιμένης* hoc scriptum videmus: *γέγονε ἐν τῇ νε΄ ὀλυμπιάδι ἐν τῇ Σαρδέων ἁλώσει, ὅτε Κῦρος ὁ Πέρσης Κροῖσον καθεῖλεν,* quo loco tamen Clinton, Fast. hell. p. 5 ed. Lips. ex Origine (Phil. c. 7 p. 66 Kr.) *νη΄* (Ol. 58 = a. 548 — 544) corrigit; sed etiam auctor chron. Pasch. (I. p. 268 ed. Dind.) Lydorum regnum iam Ol. 55 (= a. 560 — 556) deletum esse tradidit. — Sosicrates ap. Diog. L. I. 95 dicit: *πρότερον Κροίσου τελευτῆσαι Περίανδρον ἔτεσι τεσσαράκοντα καὶ ἑνὶ πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς ἐννάτης ὀλυμπιάδος,* in quibus verbis ante „*καὶ ἑνί*" interpungendum esse puto, ita ut ille auctor Croesi cladem, quam mihi intellegi velle videtur, in a. 545 ponat (Cfr. tamen Voemel. Exerc. chron. de aet. Sol. et Croesi p. 28; Boeckh. C. J. Gr. II. p. 337). Cum Sosicrate satis congruit Syncellus (Chronogr. I. p. 456 ed. Bonn.), Lydorum regnum anno decimo quarto Cyri, Persarum regis, interiisse tradens. Eusebius (Chron. II. p. 96 ed. Sch.) Croesum Ol. 57, 4 contra Cyrum profectum et Sardes Ol. 58, 3 captas esse dicit; si priorem numerum rectum esse statuas, etiam ex hac computatione Croesus iam a. 563 rex factus esse videtur. Denique auctor Marm. Par. Ep. 42 Sardes a. 542 expugnatas esse scripsisse videtur.

qua fortuna usurus esset.[1]) Quoniam igitur neque difficultatibus chronologicis neque alia re plane cogar conventum confictum existimare, pulcherrimam illam narrationem iam ab Herodoto traditam ac per totam antiquitatem tantopere celebratam utcunque exornatam et transformatam prorsus reiicere nolim.

Neque me valde movet, quod iam veterum auctorum nonnulli (ap. Plut. V. Sol. c. 27) de veritate illius colloquii dubitaverunt; nam id eos fecisse haud miror, quod Solonem statim post leges latas iter decem annorum suscepisse crediderunt, neque tunc illud colloquium haberi potuit. Minime autem assentior Plutarcho, qui pluris quam tot auctorum testimonia hoc illius colloquii re vera habiti argumentum ducere videtur, quod ingenio utriusque viri accommodatissimum sit; nam si quis illum conventum finxisset, etiam sermonem moribus colloquentium accommodasset; attamen si eiusmodi narratio cum moribus colloquentium congruit, id nihilominus dignum esse videtur, quod commemoretur. Attamen certum iudicium hac de re facere non possumus.[2])

---

[1]) Quod Solo haec Croesum monuisse traditur, ei adscribitur illud: *„τέλος ὅρα (μακροῦ) βίου“:* Diogenian. Cent. VIII. 51 (Paroemiogr. I. p. 315); Schol. Lucian IV. p. 137 ed. Jac.; Schol. Dion. Chrysost. or. 72 (vid. ap. Boissonadeum ad Maximum p. 99); Apollin. Sidon. Carm. XXII. v. 160; Stob. Eclog. phys. et mor. II. 6, 12 (II. p. 80 ed. Meincke); Brunck, Anal. Tom. III. p. 149; Auson. Lud. VII. sap., Carm. 301, v. 5 sq. (p. 231 sq. ed. Souchay).

[2]) Volney, Chronologie d'Hérodote (Paris 1808) p. 33; 41; 57; Voemel, de aet. Sol. et Croesi p. 11 sq.; Westermann in Epim. ad Plut. V. Sol. p. 80—90; Wiedemann, Versuch, die Zeit der Regierung des Krösus zu bestimmen etc. (Mus. des rhein.-westf. Schulmännervereins vol. IV. (1845) p. 16; 18 sq.; Gumpach, Zeitrechnung der Babyl. und Assyr. (Hdlbg. 1852) p. 93 sq. Solonem cum Croeso rege Sardibus convenisse credunt.

Nonnulli Solonem Alyatte vivo et tunc Croeso aut cum patre regnante aut satrapae locum tenente in Lydiam venisse arbitrantur: Clinton-Krueger, Fasti hell. App. p. 313; Fischer, Griech. Zeitt. p. 129; 133; Kortuem, Gesch. Griechenl. I. p. 184; Baehr ad Herod. I. 30.

Alii Diogenem L. I. 50 et Schol. Plat. p. 420 ed. Bekk. secuti Solonem illum regem tyrannide a Pisistrato occupata convenisse putant: Meursius (Gronov. thes. V. p. 2058); Larcher ad Herod. I. 30 vol. I. p. 222 primae edit; Ulrici Gesch. der hell. Dichtk. II. p. 435; H. Stein ad Herod. I. 29; Duncker, Gesch. des Alt. II[4]. p. 451 sq. (cfr. inprimis p. 454, n. 1.); VI[3]. p. 455 sq. Cfr. etiam Buedinger l. l. p. 221 sq.; Abicht ad Herod. I. 29.

Alii denique colloquium illud prorsus confictum esse censent: Clavier, Hist.

Apud Croesum eodem tempore etiam Aesopus, fabularum scriptor, commoratus et cum Solone collocutus esse dicitur. Ita enim narrat Plutarchus:[1] „Ὁ δὲ λογοποιὸς Αἴσωπος, ἐτύγχανε γὰρ εἰς Σάρδεις γεγονὼς μετάπεμπτος ὑπὸ Κροίσου καὶ τιμώμενος, ἠχθέσθη τῷ Σόλωνι μηδεμιᾶς τυχόντι φιλανθρωπίας· καὶ προτρέπων αὐτὸν „ὦ Σόλων" ἔφη „τοῖς βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν" καὶ ὁ Σόλων „μὰ Δί'", εἶπεν, „ἀλλ' ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἄριστα". Sed num Aesopus apud Croesum vitam egerit, tam dubium est, ut facere non possim, quin illam narrationem Plutarchi innumeris fabulis adscribam, quae de Aesopi vita et dictis apud veteres circumferebantnr; probabiliter autem ista narratio ex comoedia Alexidis hausta est, quae inscribebatur „Aesopus", in qua poeta Solonem cum Aesopo Sardibus colloquentem fecisse videtur.[2]

IV. De Solone et Pisistrato.

Athenas reversus Solo patriam trium illarum partium certaminibus valde perturbatam invenisse traditur.

Quantumvis autem Solo ab Atheniensibus etiam tunc honoratus sit, tamen tempestatem discordiae civilis minime sedare potuit et frustra principes factionum privatim hortatus est, ut concordiam restituerent atque leges fideliter observarent. Optime autem intellexit, quam periculosus legibus et institutis rei publicae ipsius propinquus foret, callidus et ambitiosus ille Pisistratus,

---

des premiers temps de la Grèce II. (Par. 1809) p. 324 sq.; Grauert, De Aesopo et fab. Aesop. (Diss. Bonn. 1825) p. 44 sq., quem sequitur Kleine, Quaest quaed. de Sol. vita et fragm. p. 5; Welcker, Kl. Schr. II. p. 251, n. 47; Bohren, de septem sapient. [Diss. Bonn. 8°. 1867] p. 41; Erdmannsdoerffer, das Zeitalter der Novelle in Hellas (Preufs. Jahrb. vol. XXV. [1869] p. 292 sq.); Curtius, Gr. Gesch. I⁵. p. 336; Bernhardy, Griech. Lit. I³. p. 513; Mueller-Heitz, Griech. Lit. I³. p. 198, n. 63; R. Schubert, De Croeso et Solone fabula. Diss. Regimont. 1868. 8°; Grote-Meifsner, Gesch. Griechenl. II. p. 116—120; Sittl, Gesch. der griech. Lit. I. p. 258.

[1]) V. Sol. c. 28. Cfr. Diog. L. I. 60; Stob. Floril. XIII. 20; Suidas s. v. *Μᾶλλον ὁ Φρύξ;* Apost. Cent. XI. 3 (Paroemiogr. II. p. 515).

[2]) Athen. X. c. 38, p. 431 d. sq. Grauert, de Aesopo p. 45; 61 sq.; Welcker, Kl. Schr. II. p. 260; Erdmannsdoerffer l. l. p. 294.

cuius mores iam dudum noverat; primus autem tunc illius consilia perspexisse traditur;[1]) sed nihilominus odio illum prosecutus non est, sed monitionibus eum a consiliis retinere studuit.[2]) Quin immo et Pisistrato ipsi et aliis dixit, eum ambitione regnandique cupiditate exuta omnium optimum fore civem.[3])

Cum Pisistratus vulneratus in forum venisset praesidiumque a populo peteret, Solo propius ad eum accedens sic eum allocutus esse dicitur: „Non bene, fili Hippocratis, Ulixis Homerici personam agis, eadem quidem facis quae ille, sed tu cives decipis, ille se vulneravit, ut hostes falleret."[4]) Et in concilio, quod „*ἡ βουλὴ*" vocatur — nisi quidem Diog. L. illud concilium cum Areopagitico senatu confudit — et in concione populi Solo legi, qua Pisistrato quinquaginta *κορυνηφόροι* praesidio corporis dati sunt, quam acerrime restitit, sed ab adversariis tamquam insanus et senectute confectus delusus est;[5]) id quod etiam hoc eius distichon[6]) illo tempore conditum confirmat:

Δείξει δὴ μανίην μὲν ἐμὴν βαιὸς χρόνος ἀστοῖς,
δείξει ἀληθείης ἐς μέσον ἐρχομένης.

Quod autem in concione populi dixisse fertur, se aliis sapientiorem, aliis fortiorem esse, sapientiorem illis, qui quae imminerent, non intelligerent, fortiorem illis, qui, quamvis tyrannidem prae-

[1]) Cic. de divinat. I. 49, 111; Aul. Gell. N. A. XVII. 21; Val. Max. V. 3, ext. 3; Plut. V. Sol. c. 29; Comp. Sol. et Popl. c. 3; cfr. Diog. L. I. 49; 65.

[2]) Plut. V. Sol. c. 29. Cfr. Diod. Exc. Vat. fr. 19, p. 18 ed. Dind. (IX. 8 ed. Bekk.): *τὸ μὲν πρῶτον λόγοις ἐπεχείρησεν ἀποτρέπειν ταύτης τῆς ἐπιβουλῆς.*

[3]) Verba, quibus Plutarchus id narrat, magnam partem e versibus Solonis transcripta esse, ostendunt E. de Leutschio l. l. p. 138; Begemann, l. l. I. p. 24; Nonnulli Solonem, cum admonitionibus privatis nihil se proficere intelligeret, etiam publice populum de Pisistrati consiliis his versibus praemonuisse putant:

Πεφυλαγμένος ἄνδρα ἕκαστον ὅρα,
μὴ κρυπτὸν ἔγχος ἔχων κραδίῃ
φαιδρῷ σε προσεννέπῃ προσώπῳ,
γλῶσσα δέ οἱ διχόμυθυς ἐκ μελαίνης φρενὸς γεγωνῇ· (fr. 42)

Sed num hi versus Solonei sint, dubitandum est. Cfr. Bergk, Poet. lyr. gr. II[4]. p. 59 in nota ad hoc fragm.

[4]) Plut. V. Sol. c. 30. Cfr. Hom. Od. IV, 242 sq.; E. de Leutschio, l. l. p. 142.

[5]) Diod. Exc. Vat. l. l.; Diog. L. I. 49; 65.

[6]) Fragm. 10. B.

viderent, ei resistere non auderent[1]) — haec quoque mihi insaniam ipsi turpiter opprobrantibus respondisse videtur.[2]) Quoniam Solo Areopagita erat, non dubito, quin senatum areopagiticum monuerit, ut illi legi Pisistrato praesidium concedenti intercederet, quamquam nihil eiusmodi ab ullo vetere rerum scriptore memoriae proditum est. Sed etiam in Areopago nonnulli Pisistrato addicti plerique timefacti fuisse videntur. Quare Solo, cum se tyrannidem a patria propellere omnino non posse videret, ita queritur:

Ἐκ νεφέλης πέλεται χιόνος μένος ἠδὲ χαλάζης,
βροντὴ δ᾽ ἐκ λαμπρᾶς γίγνεται ἀστεροπῆς·
ἀνδρῶν δ᾽ ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται· εἰς δὲ μονάρχου
δῆμος ἀϊδρίῃ δουλοσύνην ἔπεσεν·
λείως δ᾽ ἐξάραντ᾽ οὐ ῥᾴδιόν ἐστι κατασχεῖν
ὕστερον, ἀλλ᾽ ἤδη χρὴ περὶ πάντα νοεῖν.[3])

Sed nulla ratione Pisistrati consilia perturbare potuit, quia iam admodum senex non amplius illa inter cives auctoritate erat, quam in ipso aetatis flore habuerat, et qua tunc adversarius apud plebem florebat. Paulo post cum Pisistratus subito arcem urbis occupasset et Alcmaeonidae ex urbe fugerent, unus Solo denuo cives cohortatus esse fertur, ut libertatem armis defenderent dicens, antea quidem nascentem tyrannidem exstinguere facilius fuisse, sed tunc evertere adultam maius et magnificentius fore.[4]) Neque vero tum quisquam eius verbis animum intendit; itaque certe suo iure postea cives statum rei publicae everti passos ita vituperat:

Εἰ δὲ πεπόνθατε λυγρὰ δι᾽ ὑμετέρην κακότητα,
μή τι θεοῖς τούτων μοῖραν ἐπαμφέρετε·
αὐτοὶ γὰρ τούτους ηὐξήσατε ῥύματα δόντες,
καὶ διὰ ταῦτα κακὴν ἔσχετε δουλοσύνην·
ὑμέων δ᾽ εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπεκος ἴχνεσι βαίνει,

---

[1]) Plut. V. Sol. c. 30; Aelian. V. H. VIII. 16; Diog. L. I. 49; 65; Procl. in Plat. Tim. p. 25 d.

[2]) Solonem tunc a civibus postulasse, ut leges suae delerentur (Philostr. V. Soph. I. 25, 10, p 542) prorsus incredibile est commentumque rhetoricum.

[3]) Fragm. 9. Hanc elegiam, antequam Pisistratus tyrannidem occupaverit, conditam esse, testantur Diod. Exc. Vat. fr. 24, p. 23 ed. Dind. (IX. 29 Bekk.); XIX. 1; Diog. L. I. 50.

[4]) Valer. Max. V. 3, ext. 3; Plut. l. l.

σύμπασιν δ' ὑμῖν χαῦνος ἔνεστι νόος·
εἰς γὰρ γλῶσσαν ὁρᾶτε καὶ εἰς ἔπος αἰόλον ἀνδρός,
εἰς ἔργον δ' οὐδὲν γιγνόμενον βλέπετε. [1])

Pisistratus vero ipse nominatim in Solonis carminibus vituperatus esse non videtur; a nullo quidem vetere auctore, quamquam tyrannos tanto odio Graeci prosecuti sunt, eiusmodi carmen memoriae proditum est.

Nonnulli veterum auctorum tradunt Solonem frustra Athenienses cohortatum, ut libertatem defenderent, armis depositis deos contestatum esse, se quantum potuisset, patriae legibusque subvenisse. Sed quo loco id factum sit, illi auctores inter se dissentiunt. Plutarchus [2]) enim tradit: *λαβὼν τὰ ὅπλα καὶ πρὸ τῶν θυρῶν θέμενος εἰς τὸν στενωπὸν „ἐμοὶ μὲν" εἶπεν „ὡς δυνατὸν ἦν βεβοήθηται τῇ πατρίδι καὶ τοῖς νόμοις"* Plutarchum secutus mihi esse videtur Nicetas Choniata [3]) ita tradens: *ὅπλα λαβὼν πρὸς ταῖς εἰσόδοις αὐτὰ κατέθετο.* Etiam Aristides [4]) dicit illum *λαβόντα ἀσπίδα καὶ δόρυ καθῆσθαι πρὸ τῆς οἰκίας, βοηθεῖν μὲν οὐκ ἔχοντα, ἐνδεικνύμενον δὲ ὡς ἔχει γνώμης.* Aelianus [5]) similiter ait: *Καθεζόμενος δὲ Σόλων πρὸ τῆς οἰκίας, τὴν ἀσπίδα καὶ τὸ δόρυ παραθέμενος ἔλεγεν, ὅτι ἐξώπλισται, καὶ βοηθεῖ τῇ πατρίδι, ᾗ δύναται, στρατηγὸς μὲν διὰ τὴν ἡλικίαν οὐκ ἔτι ὢν εὔνους δὲ διὰ τὴν γνώμην.* Diodorus [6]) vero illum *εἰς τὴν ἀγορὰν μετὰ τῆς πανοπλίας* ivisse narrat. Diogenes Laertius [7]) denique bis Solonem armatum in medium prodiisse tradit; itaque si hunc auctorem sequeremur, nobis statuendum esset, primum

---

[1]) Fragm. 11.

[2]) l. l. Similiter idem auctor in libro, qui inscribitur: „An seni gerenda sit res publica" c. 21, p. 794 (vol. IX., p. 173 R.) haec habet: *(Σόλων) αὐτὸς ἐξενεγκάμενος τὰ ὅπλα καὶ πρὸ τῆς οἰκίας θέμενος ἠξίου βοηθεῖν τοὺς πολίτας.*

[3]) in libro de rebus post captam urbem gestis p. 771 ed. Bonn.

[4]) or. 41 (vol. I. p. 765 ed. Dind.).

[5]) V. H. VIII. 16.

[6]) Exc. Vat. fr. 19; 24 (p. 18; 23 ed. Dind; IX. 8; 29 ed. Bekk.). Non satis liquet, quando Diodorus Solonem armatum in forum euntem fecerit; in altero enim fragmento plebs tunc nondum rationes Pisistrati perspexisse dicitur, alterum vero fragmentum Pisistratum tum iam tyrannum factum esse docet. Cfr. Klueber, l. l. p. 32 sq.

[7]) I. 49; 50.

Solonem „μετὰ δόρατος καὶ ἀσπίδος“ in concione populi civibus consilia Pisistrati praedixisse, deinde, cum Pisistratus tyrannus factus esset, illum arma πρὸ τοῦ στρατηγείου posuisse.

Etiam in epistola,[1]) quam Solo ad Epimenidem scripsisse fertur, ita scriptum videmus: ἐγὼ δὴ θέμενος πρὸ τοῦ στρατηγείου τὰ ὅπλα κ. τ. λ., sed auctor epistolae id Solonem facientem fingit, cum tyrannidem Pisistrati praediceret. Quoniam vero illi auctores tantopere hac in re inter se discrepant, equidem illam narrationem inferiore aetate prorsus fictam esse suspicor;[2]) fortasse ea inde nata est, quod Solo legem tulisse traditur, ut qui seditione exorta neutram partem defendisset, infamia afficeretur;[3]) maxime enim legislatori ipsi tunc illam legem implendam fuisse veteres credidisse videntur. Omnino quae ratio inter Pisistratum et Solonem, cum ille tyrannidem occupasset, intercessisset, iam veteribus auctoribus obscurum erat.

V. De fine vitae Solonis.

Tanta obscuritate exitus Solonis obrutus est, ut veteres rerum scriptores neque de aetate, quam attigerit, neque quo loco mortuus et elatus sit, inter se consentiant. Diog. L.[4]) et Schol. Plat.[5]) illum Pisistrato tyranno facto in Aegyptum, Cyprum, Ly-

[1]) Diog. L. I. 65.

[2]) Leutsch, l. l. p. 145 sq.

[3]) Cic. Ep. ad Att. X. 1; Aul. Gell. N. A. II. 12; Plut. V. Sol. c. 20; de sera num. vind. c. 4, p. 550 (vol. VIII. p. 175 R.); praec. reip. ger. p. 823 (vol. IX. p. 276 R.); Niceph. Gregor. Hist. Byz. IX. 7 (p. 427 ed. Bonn.); Cantacuz. Hist. IV. 13 (vol. III. p. 87 ed. Bonn.).

[4]) Diog. L. I. 50.

[5]) p. 420 ed. Bekk. cfr. Themist. or. 34, p. 460 ed. Dind.; Suid. s. v. Σόλων. Quam inepte Dio Chrysost. or. 37, p. 455 d Solonem Pisistrati tyrannidem fugientem ad Periandrum venisse referat, vel ex eo intelligitur, quod ille Corinthiorum tyrannus iam circiter a. a. Chr. n. 585 mortuus est (Fischer, Gr. Zeitt. p. 119). Ceterum omnes septem sapientes Corinthum convenisse tradi, infra memorabitur. Solonem autem Pisistrato tyranno facto Athenas reliquisse etiam auctor epistolarum opinatus est, quae in primo libro Diogenis leguntur; ibi enim Thales Solonem Miletum invitans fingitur, Bias Prienen (I. 44), Cleobolus Lin-

diam profectum esse narrant. Eadem igitur loca Solonem tunc demum illi auctores adeuntem faciunt, in quae Herodoto et Plutarcho testibus, antequam Pisistratus tyrannus exstitit, profectus erat; cum praeterea Diog. L. et Schol. Plat. illas terras etiam eodem ordine enumerent ac Plutarchus neque quisquam veterum auctorum — si fictos conventus septem sapientium praetermittas — Solonem post leges latas bis peregre profectum esse memoret, concludendum mihi esse videtur, illum non bis magna itinera suscepisse, sed iam antiquitate duplicem de illius itineribus memoriam fuisse. Alii enim iique graviores auctores Solonem ante Pisistrati tyrannidem Athenas iam revertisse arbitrati sunt, alii vero eum aegre ferentem, quod Pisistrati dominationem sua opera impedire non potuisset, tunc demum patria relicta in Aegyptum et Asiam profectum esse ibique Croesum convenisse crediderunt.[1]) Quo factum est, ut hi auctores Solonem etiam in Cypro insula tunc Solos urbem condidisse ibique decessisse opinarentur.[2]) Equidem his de rebus vera Plutarchum memoriae prodidisse puto, quia in extrema vita Solonis maximam partem Didymum, auctorem certum ac fide dignum secutus videtur.[3]) Ille rerum scriptor autem tradit,[4]) Solonem post tyrannidem a Pisistrato occupatam vitam tranquillam transegisse neque amicis obedivisse, qui ei suaderent, ut fugeret. Multos enim timuisse, ne a tyranno occideretur; illum vero quaerentibus, qua tandem re fretus non melius vitae consuleret, respondisse: Senectute fretus.[5]) Tyrannus autem,

---

dum (I. 93), Epimenides Cretam (I. 113). Deinde etiam a Pisistrato invitatur, ut Athenas revertatur (I. 53—54), cui tamen non obsequitur (I. 66—67), sed Sardibus aliquamdiu hospitio Croesi frui mavult (I. 67).

[1]) Hos auctores etiam Diodorum in IX. libro secutum esse coniicit Klueber l. l. p. 35. Auctorum recentiorum, qui Solonem bis, et ante- et postquam Pisistratus tyrannidem occupavit, itinera suscepisse statuunt, iam supra mentionem feci, ubi de conventu, quem cum Croeso habuisse traditur, sermo fuit.

[2]) Valer. Max. V. 3, ext. 3; Aul. Gell. XVII. 21; Diog. L. I. 62; Schol. Plat. l. l. Suid. s. v. *Σόλων*.

[3]) Begemann I. p. 25 sq.

[4]) V. Sol. c. 30.

[5]) Aliis locis Solo Pisistrato ipsi quaerenti, qua spe fretus tam audacter tyrannidi obsisteret, illud respondisse dicitur. Diod. Exc. Vat. p. 18; 24 (IX.

qui omnes Solonis leges servari iussit,[1]) illi nullam iniuriam intulit;[2]) neque enim timebat, ne ille ipsius dominationi periculosus fieret; contra Solonem honorasse eiusque sapientiam laudasse dicitur. Quin etiam Solonem ab eo arcessitum esse, ut eum consiliis adiuvaret, Plutarchus[3]) narrat. Neque praetermittenda est narratio Diogenis L.,[4]) Solonem civibus persuasisse, ut coloniam in Chersonnesum Thracicam mitterent. Facile autem intelligitur, quanti momenti commercio Atheniensium fuerit, quod tunc Miltiade duce Chersonnesum occuparunt,[5]) quoniam in altero Hellesponti litore Sigeum quidem tenebant, Lesbii autem Achilleum.[6]) Cum narratione Plutarchi, Solonem Pisistrato tyranno facto Athenis mansisse, etiam Aelianus[7]) congruit, qui Solonem Athenis publico sumptu iuxta moenia urbis loco ad dextram per portam urbem intrantis sito sepultum eiusque sepulcrum muro saeptum esse narrat.

Idem auctor Solonem haud multo post quam Pisistratus tyrannus factus sit, mortuum esse dicit; etiam Phanias Eresius[8]) illum Hegestrato archonte e vita decessisse tradit, Hegestratum autem successisse Comiae, quo archonte Pisistratus dominari coepisset. Cuius auctoris, qui a Plutarcho[9]) ut „ἀνὴρ φιλόσοφος καὶ γραμμάτων οὐκ ἄπειρος ἱστορικῶν“ laudatur, accuratum testimonium quin verum sit, dubitandum non est,[10]) quamquam ab eo discrepat Heraclides Ponticus, qui Solonem tyrannide a Pisistrato

---

8; 30 ed. Bekk.); Cic. Cat. mai. de senect. 20, 72; Plut. An seni ger. sit resp. c. 21, p. 794 E.

[1]) Herod. I. 59; Thuc. VI. 54; Plut. V. Sol. c. 31.

[2]) Diod. Exc. Vat. p. 18 (IX. 8 Bekk); Aelian. V. H. VIII. 16.

[3]) V. Sol. c. 31.

[4]) I. 47.

[5]) Herod. VI. 34 sq.; Marcell. V. Thuc. 7.

[6]) Herod. V. 94; 95, qui tamen perperam Pisistratum eiusque filium Hegesistratum illa bella contra Mytilenaeos gessisse narrat, donec Periander disceptator exstiterit; Strab. XIII. 1, 38, p. 599 sq. C.; Diog. L. I. 74. Duncker VI³. p. 135; 241.

[7]) VIII. 16.

[8]) ap. Plut. V. Sol. c. 32.

[9]) V. Themist. c. 13.

[10]) Cfr. A. Philippi, Solon und Krösus (Rh. Mus. N. F. XXXVI. [1881], p. 472 sq.).

occupata per longum tempus (συχνὸν χρόνον) vixisse dicit.[1]) Hic enim rerum scriptor, qui ab ipso Plutarcho[2]) μυθώδης καὶ πλασματίας vocatur, Solonem tamdiu vixisse eo consilio mihi tradidisse videtur, quo illum tunc magna illa itinera, de quibus supra egimus, suscepisse credibilius fieret. Eadem fortasse etiam causa est, cur Lucianus[3]) Solonem ad centesimum aetatis annum pervenisse tradit, cum a vero minus abhorrere videatur, quod alii[4]) dicunt, illum octoginta annos natum mortem cum vita commutasse. Illi enim auctores, qui Solonem a. 560 peregrinantem fecerunt, probabiliter eum usque ad centesimum aetatis annum vixisse dixerunt, ii vero, qui eum illo tempore urbem non reliquisse sciebant, et a. 559 Hegestrato archonte et octoginta annos natum eum obiisse tradidisse videntur. Sed forsitan quis dixerit, Diogenem tradidisse, eum octoginta annos natum in Cypro mortuum esse; sed qua negligentia ille scriptor fuerit, quis est qui nesciat? Quare haud miror, eum numerum minorem, qui verus esse videtur, cum maiore confudisse; sine dubio numerum, quem forte alicubi memoratum invenerat, socorditer transscripsit.[5]) Sed utcunque se haec res habet, Solo mihi Athenis a. a. Chr. n. 559 mortuus esse videtur.

Antiquitate autem fama percrebruerat, Solonis ossibus in Salamina insulam collatis ibique combustis cinerem per totam insulam dispersum esse.[6]) Quam narrationem, quae vel ab ipso

---

[1]) Plut. V. Sol. c. 32. Pisistratus a. a. Chr. n. 560 tyrannus exstitit. Fischer, Griech. Zeitt. p. 134 sq.; Clinton-Krueger F. H. p. 2; 218 sq.; Voemel, l. l. p. 13 sq.; Duncker, Gesch. des Alt. VI^3. p. 454, n. 1.

[2]) V. Camill. c. 22; cfr. Cic. de nat. deorum I. 13, 34.

[3]) Macrob. 18.

[4]) Diog. L. I. 62; Schol. Plat. p. 420 Bekk. — Apud Aelianum (VIII. 16) Solo „ὑπέργηρως" dicitur, ap. Diod. Exc. Vat. p. 18 Dind. (IX. 8. Bekk.) „παντελῶς ἤδη γεγηρακώς". Cfr. Plut. V. Sol. c. 29: ἐν δὲ κοινῷ λέγειν καὶ πράσσειν ὁμοίως οὐκ ἔτ' ἦν δυνατὸς οὐδὲ πρόθυμος ὑπὸ γήρως.

[5]) Westermann in Epim. ad Plut. V. Sol. p. 88.

[6]) Plut. V. Sol. c. 32; Aristid. or. 46 (vol. II. p. 230 ed. Dind.); Diog. L. I. 62; 63, qui hoc loco ex „Pammetro" suo hoc epigramma citat:

Σῶμα μὲν ἦρε Σόλωνος ἐν ἀλλοδαπῇ Κύπριον πῦρ·
ὀστᾶ δ' ἔχει Σαλαμίς, ὧν κόνις ἀστάχυες·
ψυχὴν δ' ἄξονες εὐθὺς ἐς οὐρανὸν ἤγαγον· εὖ γὰρ
θῆκε νόμους ἀστοῖς ἄχθεα κουφότατα.

Plutarcho διὰ τὴν ἀτοπίαν ἀπίθανος παντάπασι καὶ μυθώδης vocatur, veteres mihi finxisse videntur eadem de Solone narrantes, quae de cinere Lycurgi memoriae produntur.[1]) Supra enim iam Aelianum laudavi narrantem, Solonem Athenis publico sumptu sepultum eiusque sepulcrum muro circumdatum esse. Iam Cratinus[2]) quidem illam fabulam memorat Solonem ita loquentem faciens:

Οἰκῶ δὲ νῆσον, ὡς μὲν ἀνθρώπων λόγος,
ἐσπαρμένος κατὰ πᾶσαν Αἴαντος πόλιν.

Sed comicus ille verbis satis cautis utitur neque narrata vera esse dicit, quare eo magis a nobis in dubium vocanda esse puto. Quodsi autem Plutarchus narrata etiam ab Aristotele tradita esse dicit, fieri poterat, ut ille philosophus similiter ac Cratinus illam rem fama nuntiari diceret. Plutarcho enim in eiusmodi rebus diffidere licet. Alio enim loco vitae Solonis[3]) tradit Pisistratum tyrannum apud Areopagitas caedis accusatum, ut rite se defenderet, in iudicium venisse. Etiam haec narratio ab auctore Plutarchi ex Aristotele[4]) hausta esse videtur, quia verba „προσκληθεὶς εἰς Ἄρειον πάγον“ et apud Plutarchum et apud Aristotelem scripta videmus. Quod tamen Aristoteles dici narrat, Plutarchus factum esse tradit.[5])

---

[1]) Aristocrates ap. Plut. V. Lyc. c. 31. Operae pretium mihi esse videtur, hic breviter eas res enumerare, quae pariter in vita Lycurgi ac Solonis a Plutarcho commemoratae mihi utrobique confictae esse videntur. Uterque ante legumlationem iam peregre profectus esse dicitur, alter invidia inimicorum, alter inopia commotus (V. Lyc. c. 3; V. Sol. c. 2); utriusque legibus per vatem Cretensem via praeparatur, Soloni per Epimenidem, Lycurgo per Thaletam (V. Lyc. c. 4, V. Sol. c. 12); uterque statim post leges latas patriam reliquit, ne illas mutare cogeretur (V. Lyc. c. 29; V. Sol. c. 25); uterque mortuus combustus et cinis eius dispersus est (V. Lyc. c. 31; V. Sol. c. 32). In utriusque legislatoris vita describenda autem Plutarchum magnam partem Hermippum secutum esse constat.

[2]) ap. Diog. L. I. 62.

[3]) c. 31.

[4]) Polit. IX. (V.) 9, 21, p. 288 ed. Susemihl edit. 3.

[5]) Prinz l. l. p. 19; 22.

VI. De Solonis ingenio ac moribus.

Restat, ut nonnulla de ingenio atque indole Solonis disputemus, qui a Iustino[1]) vir iustitiae insignis appellatur, et quem Diodorus[2]) hac eximia laude ornat: *φύσει δὲ πρὸς ἀρετὴν τῶν ἄλλων πολὺ διαφέρων ἐζήλωσεν ἀρετὴν ἐπαινουμένην· πᾶσι γὰρ τοῖς μαθήμασι πολὺν χρόνον ἐνδιατρίψας ἀθλητὴς ἐγένετο πάσης ἀρετῆς.* Ac profecto Solonis animum ingenuum etiam eius carmina testantur; virtutem enim pluris aestimat, quam divitias:

Πολλοὶ γὰρ πλουτεῦσι κακοί, ἀγαθοὶ δὲ πένονται·
ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα
τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον, ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδον αἰεί,
χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει[3])

Expedit autem favorem deorum, bonam famam, bonaque haud iniuste acquisita, ut dulcis sit amicis, terribilis inimicis:

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς Ὀλυμπίου ἀγλαὰ τέκνα,
Μοῦσαι Πιερίδες, κλῦτέ μοι εὐχομένῳ·
ὄλβον μοι πρὸς θεῶν μακάρων δότε καὶ πρὸς ἁπάντων
ἀνθρώπων αἰεὶ δόξαν ἔχειν ἀγαθήν·
εἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρόν,
τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν.
χρήματα δ' ἱμείρω μὲν ἔχειν, ἀδίκως δὲ πεπᾶσθαι
οὐκ ἐθέλω· πάντως ὕστερον ἦλθε δίκη.[4])

Magni etiam aestimat gaudia interioris ac familiaris vitae:

Ἰσόν τοι πλουτεῦσιν ὅτῳ πολὺς ἄργυρός ἐστιν
καὶ χρυσὸς καὶ γῆς πυροφόρου πεδία
ἵπποι θ' ἡμίονοί τε, καὶ ᾧ μόνα ταῦτα πάρεστιν
γαστρί τε καὶ πλευρῇ καὶ ποσὶν ἁβρὰ παθεῖν,[5])

---

[1]) II. 7.

[2]) Exc. de virt. et vit. p. 551 (IX. 1 Bekk.).

[3]) Fragm. 15. B.

[4]) Fragm. 13, v. 1—8. B.

[5]) Hanc sententiam ita imitatur Horat. Epist. I. 12, 5:
Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil
divitiae poterunt regales addere maius.

παιδός τ' ἠδὲ γυναικός, ἐπὴν κατὰ ταῦτ' ἀφίκηται,
ἥβης· σὺν δ' ὥρῃ γίγνεται ἁρμόδια. [1])

Quam carus suis esse velit, ita exprimit:

Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισιν
ποιήσαιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς. [2])

Hilaritatem animi, quae omnino Ionum propria erat, hoc distichon probat:

Ὄλβιος ᾧ παῖδές τε φίλοι καὶ μώνυχες ἵπποι
καὶ κύνες ἀγρευταὶ καὶ ξένος ἀλλοδαπός. [3])

Alio loco dicit:

Ἔργα δὲ Κυπρογενοῦς νῦν μοι φίλα καὶ Διονύσου
καὶ Μουσέων, ἃ τίθησ' ἀνδράσιν εὐφροσύνας. [4])

Ad Mimnermum, qui scripserat:

Αἲ γὰρ ἄτερ νούσων τε ἀργαλέων μελεδώνων
Ἑξηκονταέτη μοῖρα κίχοι θανάτου,

Solo diuturnae vitae cupidus conscripsit hos versus:

Ἀλλ' εἴ μοι κἂν νῦν ἔτι πείσεαι, ἔξελε τοῦτο,
μηδὲ μέγαιρ' ὅτι σεῦ λῷον ἐπεφρασάμην,
καὶ μεταποίησον, Λιγυαστάδη, ὧδε δ' ἄειδε·
Ὀγδωκονταέτη μοῖρα κίχοι θανάτου. [5])

Videmus igitur, illum bona, commoditatem vitae, voluptatem amasse neque vero magis, quam sive aequitati sive timori deorum non adversari videretur. Qua in re tamen negligendum non est, illum Atheniensem fuisse neque nostris legibus iudicandum, si

---

[1]) Fragm. 24. B. Cfr. parodiam Cratetis ap. Iulianum (or. VI. p. 373 sq.; or. VII. p. 398 ed. Paris.).

[2]) Fragm. 21. B.

[3]) Frag. 23. B.

[4]) Fragm. 26. B. Cfr. Plut. V. Sol. c. 29: *ὁ Σόλων ἔτι μᾶλλον ἐν γήρᾳ σχολῇ καὶ παιδιᾷ καὶ νὴ Δία πότοις καὶ μουσικῇ παραπέμπων ἑαυτόν.* Seneca, de tranquill. animi XV, 15.

[5]) Fragm. 20. B. Quamquam poeta in alio carmine, in quo vitam humanam in decem septenum annorum gradus dividit et, quae singulis vitae gradibus fieri soleant vel hominem deceant, exponit, ita canit:

τῇ δεκάτῃ δ' ὅτε δὴ τελέσῃ θεὸς ἕπτ' ἐνιαυτούς,
οὐκ ἂν ἄωρος ἐὼν μοῖραν ἔχοι θανάτου.

forte interdum magis voluptatibus se dedidit, quam nos quidem licitum esse putamus. Iuvenis enim hos versus condidisse dicitur:

Ἔσθ' ἥβης ἐρατοῖσιν ἐπ' ἄνθεσι παιδοφιλήσῃ
μηρῶν ἱμείρων καὶ γλυκεροῦ στόματος. [1])

Praeterea Plutarchus [2]) haec habet: *Ὅτι δὲ πρὸς τοὺς καλοὺς οὐκ ἦν ἐχυρὸς ὁ Σόλων οὐδ' ἔρωτι θαῤῥαλέος ἀντααναστῆναι, „πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας", ἔκ τε τῶν ποιημάτων αὐτοῦ λαβεῖν ἐστι, καὶ νόμον ἔγραψε διαγορεύοντα δοῦλον μὴ ξηραλοιφεῖν μηδὲ παιδεραστεῖν, εἰς τὴν τῶν καλῶν μερίδα καὶ σεμνῶν ἐπιτηδευμάτων τιθέμενος τὸ πρᾶγμα, καὶ τρόπον τινὰ τοὺς ἀξίους προκαλούμενος ὧν τοὺς ἀναξίους ἀπήλαυνεν.* Simili modo iam Aeschines [3]) illam legem interpretatur, quare concedamus necesse videtur, etiam reliquos Athenienses eam ita intellexisse. [4]) Nihilo minus incredibile videtur, Solonem quodammodo cives, ut pessimum illud crimen committerent, cohortatum esse, praesertim cum constet, illum puerorum corruptionem vimque iis illatam prohibuisse. [5])

Similiter dubito, num vera sint, quae Plutarchus [6]) de amicitia Solonis et Pisistrati his verbis tradit: *καὶ φιλία τὸ πρῶτον ἦν αὐτοῖς πολλὴ μὲν διὰ τὴν συγγένειαν, πολλὴ δὲ διὰ τὴν εὐφυΐαν καὶ ὥραν, ὥς ἔνιοί φασιν, ἐρωτικῶς τὸν Πεισίστρατον ἀσπαζομένου τοῦ Σόλωνος.* Nam ista narratio inde nasci potuit quod propinqui erant et aetate differebant et postea Athenienses causas quaerebant, cur Solo cum Pisistrato tyranno facto in maiore simultate non fuerit. Ita enim Plutarchus pergit: *Ὅθεν ὕστερον, ὡς ἔοικεν, εἰς διαφορὰν αὐτῶν ἐν τῇ πολιτείᾳ καταστάντων, οὐδὲν ἤνεγκεν ἡ ἔχθρα σκληρὸν οὐδ' ἄγριον πάθος, ἀλλὰ παρέμεινεν ἐκεῖνα τὰ δίκαια ταῖς ψυχαῖς, καὶ παρεφύλαξε τυφομένην ἁδροῦ πυρὸς ἔτι ζῶσαν φλόγα τὴν ἐρωτικὴν μνήμην καὶ χάριν.*

---

[1]) Fragm. 25. B.

[2]) V. Sol. c. 1. Cfr. Conviv. VII. sap. c. 7, p. 152 D. (vol. VI. p. 579 R.); Amat. c. 4, p. 750 (vol. IX. p. 9 sq. R.).

[3]) or. c. Timarch. § 138 sq.

[4]) Cfr. etiam quae Chrysostomus (ap. Menagium, Observ. in Diog. L. I. 55) hac de re tradat.

[5]) Lys. or. de caede Eratosth. 32; Aeschin. c. Tim. 14 sq.; Demosth. c. Androt. § 30. Cfr. his de rebus Becker, Charicles I. p. 358 sq.

[6]) V. Sol. c. 1.

Discendi studium Solo usque ad senectutem servavit, quod ipse testatur:

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. [1])

Cum fratris filius ei carmen Sapphonis inter convivium cecinisset, carmine delectatus a puero petiisse dicitur, ut ipsum illud doceret, et a quodam interrogatus, quanam de causa id expeteret, respondisse fertur: „*ἵνα μαθὼν αὐτὸ ἀποθάνω.*“ [2]) Simile eius dictum etiam Valerius Maximus [3]) memoriae prodidit. Narrat enim Solonem supremo vitae die assidentibus amicis et quadam de re sermonem inter se conferentibus fatis iam pressum caput erexisse et interrogatum, cur hoc fecisset, respondisse: Ut cum istud, quidquid est, de quo disputatis, percepero, moriar.

Ut etiam pauca addam de iis, quae pro re publica gesserit, Solo alta mente praeditus optime pericula civitati imminentia et remedia, quibus ad illa evitanda opus esset, perspexit neque eum animus defecit nec virtus id quod ad salutem patriae necessarium esse intellexerat, siquidem fieri poterat, exsequendi. Ad quod comprobandum, ut omittam leges ab eo praeclare latas, sufficit monere, quam audacter „*τὸν ἴδιον κίνδυνον ὑποθείς*“, ut verbis Demosthenis [4]) utar, cives ad Salamina expugnandam excitare ausus sit. Maxime autem virtute moderantiae, qua illum in vita privata usum esse supra vidimus, etiam in vita forensi excellebat. Ipse enim nobilissimo genere natus tamen in partium certaminibus non temere semper studia Eupatridarum adiuvabat, sed benevolo atque excelso animo excellens studio ac ira vacuus commodis totius civitatis omniumque ordinum prospicere studebat. Quare pro viribus resistebat omnibus, qui proterve suis tantum commodis ei servire videbantur, maxime Pisistrato tyrannidem concupiscenti, quam ipse moderantia ductus occupare noluerat. Quanti veteres Solonis peritiam rerum civilium aestimaverint, ex nonnullorum auctorum [5]) narratione concludi potest, tempore bel-

---

[1]) Fragm. 18 B. Cfr. Plut. V. Sol. c. 29.

[2]) Aelian. ap. Stob. Floril. XXIX. 58.

[3]) VIII. 7, ext. 14.

[4]) XIX. § 252.

[5]) Plut. V. Themist. c. 2; Conv. VII. sap. c. 11, p. 154 C. (vol. VI. p. 585

lorum Persicorum quosdam viros, nominatim Mnesiphilum et Themistoclem, Solonis praecepta de re publica Atheniensium regenda et gubernanda secutos esse, quasi Solo quodammodo princeps scholae factus esset. [1])

Propter sapientiam et in carminibus declaratam et in maximis rei publicae causis perspectam Solo a veteribus in numerum septem sapientium receptus est, qui viri ita appellati sunt, quod cum artis cuiusdam scientia, maxime arte poetica, tum prudentia civili inter omnes aequales eminuisse putabantur. [2]) Constat quidem omnes veteres auctores inter se consentire, septem tantum viros sapientes dicendos esse; si autem quaeritur, qui illi septem fuerint, ita inter se dissentiunt, ut omnino 22 viri alii ab aliis auctoribus in illum numerum recepti sint. [3]) Ab omnibus tamen, quotquot septem sapientes recensent, praeter Thaletem, Biantem, Pittacum Solo quoque inter sapientes numeratur. [4]) Quin immo omnes ceteros

---

R.); an seni ger. sit resp. c. 23, p. 795 (vol. IX. p. 175 R.); Clem. Alex. Strom. I c. 14, § 65, p. 354 Pott.

[1]) Illud autem de Themistocle quidem immerito tradi, Thucydides I., 138 ita docet; *οἰκείᾳ γὰρ ξυνέσει, καὶ οὔτε προμαθὼν ἐς αὐτὴν οὐδὲν οὔτ᾽ ἐπιμαθών, τῶν δὲ παραχρῆμα δι᾽ ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, καὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής.* Quare etiam dubium mihi esse videtur, num Mnesiphilus a Solone profectus sit; quin etiam, cum ea, quae ab Herodoto VIII. 57 sq. de Mnesiphilo traduntur, vera non esse videantur, etiam hoc nomen ipsum fictum esse suspicari possis. Wecklein, Ueber die Tradition der Perserkriege (Sitzungsber. der München. Akad. d. Wissensch. 1876, p. 300 sq.; 313.

[2]) Cic. de orat. III. 34, 137; de re publ. I. 7, 12; Diog. L. I. 40; Themist. or. 34, p. 446 ed. Dind.

[3]) Bohren, de septem sap. Diss. Bonn. 1867. 8°. p. 28. Iam Hermippus nomina septemdecim virorum, qui a quibusdam sapientes habeantur, affert ap. Diog. L. I. 42.

[4]) Plat. Protag. p. 343 a (quem locum repetit Steph. Byz. s. v. *Χήν*); Diod. in lib. IX.; Plut. de *EI* ap. Delph. c. 3, p. 385 (vol. VII. p. 514 sq. R.); conviv. VII. sap.; Paus. X. 24, 1; Hygin. fab. 221; Diog. L. I. 13; 41; 42; Clem. Alex. Strom. I. 14, § 59, p. 350 Pott.; August. de civit. Dei XVIII. 25; Auson. Lud. sept. sap.; Apollin. Sidon. Carm. XII. v. 42 sq.; Carm. XX. v. 106 sq.; Carm. XXII. v. 156 sq.; Syncell. chronogr. p. 239 (I. p. 454 ed. Dind.); Tzetz. Chil. II. 917 sq.; Schol. Lucian. vol. IV. p. 248 ed. Jac.;

sapientia superasse dicitur, cum et a Platone[1]) et a Cicerone[2]) sapientissimus ex septem vocetur, a Diodoro[3]) *σοφίᾳ καὶ παιδείᾳ πάντας τοὺς καθ' ἑαυτὸν ὑπερβεβηκώς.* Apud eundem Diodorum deinde paulo post haec de Solone scripta legimus: *ὠνομάσθη μὲν εἷς τῶν ἑπτὰ σοφῶν, καὶ τὸ πρωτεῖον τῆς συνέσεως οὐ μόνον παρὰ τούτοις τοῖς ἀνδράσιν ἀλλὰ καὶ παρὰ πᾶσι θαυμαζομένοις ἀπηνέγκατο.*[4]) Etiam Ausonius[5]) Solonem dicentem facit:

Cod. Vatic. 771 fol. 95 ap. Meinekeum (Stob. Floril. IV. p. 296; Brunck, Analect. T. III. p. 149 sq.

Praeterea Solo *σοφός* dicitur atque in sapientium numero refertur ab Aul. Gell. N. A. XI. 18; XVII. 21; Plut. V. Sol. c. 3; 4; Cic. De senect. c. 20, 73; Senec. Epist. mor. XIV. 2, 5; Aristid. or. 46 (vol. II. p. 361 ed. Dind.); Athen. XV. 34, p. 687 a; Themist. or. 34, p. 446 ed. Dind.; Lucian. Dial. mort. XX. 4; Scytha 5; Euseb. Chron. II. p. 7; Julian. imp. ad Themist. p. 483 ed. Paris.; Schol. Plat. ed. Bekk. p. 420; in epistola ficta Anachars. ad Sol. (Epistologr. gr. ed. Hercher p. 103); Suid. s. v. *Σόλων;* s. v. *Κροῖσος;* Eudocia s. v. *Σόλων* p. 651 ed. Flach.

Constat antiquioribus temporibus septem illos sapientes etiam sophistas appellatos esse; ita enim, ut multos alios locos omittam, nominantur ab Herod. I. 29; Androtione (Androne) ap. Aristid. or. 46 (vol. II. p. 407 ed. Dind.); Plut. De *EI* ap. Delph. p. 385 (vol. VII. p. 514 R.); Isocr. XV. 235 (vol. II. p. 157 ed. Blass); Lucian. Rhet. praec. 1; Schol. ad h. l. (vol. IV. p. 220 ed. Jac.). Quare etiam Solo sophistes dicitur: Tatian. adv. Graecos p. 138 ed. Otto; Isocr. l. l., Themist. or. 23, p. 347 ed. Dind.; Etymol. Gud. 507, 38. — Quoniam Solo collegio septem sapientium vel sophistarum annumeratur, Dio Chrysostomus (or. 49, p. 538; cfr. or. 22 p. 274) et Macrobius (Comm. in Cic. Somnium Scip. II. 17, 8) eum etiam in numero philosophorum habent, qui magistratus gesserint. Philosophus Solo appellatur ab Aeschin. c. Ctesiph. § 257; Apul. Madaur. de Magia c. 9; Suid s. v. *Σόλων;* Tzetz. Chil. V. 384; cfr. Malal. Chronogr. p. 153 ed. Dind.: *ἐν οἷς χρόνοις Σόλων ἐφιλοσόφει.*

[1]) Tim. p. 20 d; cfr. Procl. in Tim. p. 25 d; Clem. Alex. Strom. I. 15, § 69, p. 356 Pott.

[2]) Epist. XV. ad Brutum. A Plutarcho, Comp. Sol. et Popl. c. 1 Solo „*σοφώτατος ἁπάντων*" dicitur, ab Aulo Gellio N. A. II. 12 „singulari sapientia praeditus."

[3]) Exc. de virt. et vit. p. 551 (IX. 1 ed. Bekk.).

[4]) Diod. l. l. cfr. Nicet. Choniat. p. 772 ed. Bonn.: *Σόλων ἐκεῖνος ὁ Κοδρίδης μὲν τὸ γένος τῷ δέ τῆς σοφίας περιόντι μικροῦ πᾶσαν τὴν τετράκλιμον διελθών κ. τ. λ.*

[5]) Lud. VII. sap. 302 initio.

De more Graeco prodeo in scenam Solon
Septem sapientum fama cui palmam dedit.

Deinde apud Ciceronem [1]) sapientissimus civitatis Atheniensium fuisse dicitur; etiam Apollinaris Sidonius [2]) illum sapientem ita alloquitur:

Et tu, qui tetricis potens Athenis
Vincis Socraticas, Solon, palaestras.

In fabula notissima, quae septem sapientes ad certamen sapientiae coniunxit eorumque modestiam laudibus effert, postremo Solo tripodem accepisse et deum sapientissimum esse dicens donum Delphos misisse a nonnullis auctoribus traditur. [3]) Cum ceteris sapientibus in Panionio [4]) et apud Croesum [5]) et Delphis [6]) fuisse dicitur atque ex sententiis, quae Delphis columnae inscriptae fuisse videntur, [7]) Soloni et illud: „μηδὲν ἄγαν" [8]) et illud: γνῶθι

[1]) in or. pro Roscio Amer. 70.

[2]) Carm. XX., v. 112—113.

[3]) Diod. Exc. Vat. fr. 18, p. 17 Dind. (IX. 7 Bekk.); Valer. Max IV. 1, ext. 7; Diog. L. I. 28; Procl. in Plat. Tim. p. 25 e. Accuratius de hac fabula, quae a variis auctoribus varie traditur, disputant Klueber l. l. p. 8—12; Bohren, de septem sap. p. 48—56.

[4]) Diog. L. I. 40.

[5]) Diod. Exc. Vat. fr. 17, p. 16; fr. 26, p. 25 Dind. (IX. 4; 36 Bekk.); Suid. s. v. *μᾶλλον ὁ Φρύξ;* Apostol. Cent. XI. 3 (Paroemiogr. II. p. 515); Zenob. V. 16 (ib. I. p. 122.).

[6]) Plut. V. Sol. c. 4; Diog. L. I. 40; cfr. Plut. De *EI* ap. Delph. c. 3, p. 385 (vol. VII. p. 514 sq. ed. Reiske).

[7]) Cfr. C. W. Goettling, Ges. Abhandl. aus dem klass. Altert. I. (Halle 1851) p. 224 sq.; Bernhardt, Die sieben Weisen Griechenlands. Progr. (Sorau 1864) p. 10 sq.; F. Schultz, Die Sprüche der delph. Säule (Philol. XXIV. [1866]) p. 193 sq.

[8]) Demetr. Phal. ap. Stob. Floril. III. 79, 2; Didymus ap. Clem. Alex. Strom. I. 14, § 61, p. 359; Hygin. Fab. 221; C. J. Gr. Nr. 6109; Diog. L. I. 63; Suid. s. v. *Σόλων;* Eudocia 903 p. 651 ed. Flach; Schol. Plat. p. 420 Bekk; Apollin. Sidon C. XII., v. 47; Cod. Par. 1630 p. 191, 1 (Anecd. gr. ed. Boissonade vol. I. p. 144). — Critias vero et Pindarus ap. Schol. Eurip. Hypol. 264 (p. 112 ed. Dind.); Plut. conviv. VII. sap. c. 20, p. 163 D. (vol. VI. p. 623 R.); Diog. L. I. 41; Suid. s. v. *Θαλῆς;* auctor epigrammatis 508 in Brunckii Anal. III. p. 258; Cod. Vat. ap. Meineck., Stob. Floril. IV. p. 297 illud apophthegma Chiloni adscribunt, alii Pittaco: Anthol. Pal. III. p. 543; Auson. Sentent. VII. sap. 316, 5; in coll. Ald. Manut. ap. Orellium (Opusc.

σαυτόν [1]) adscribitur. Etiam Corinthum septem sapientes convenisse traduntur, quo eos Periander ad convivium invitaverit, [2]) in quo Solonem Plutarchus primo loco accumbentem facit. [3]) Quae breviter monuisse sufficiat, quoniam hodie vix quisquam dubitaverit, quin istae narrationes confictae sint. [4]) Ad illud convivium Periandri autem referenda esse videntur, quae Stobaeus [5]) narrat: Solonem in convivio cum aliquando sileret a Periandro interrogatum esse utrum propter inopiam sermonis an mentis sileret; illum vero respondisse: Nemo stultus in convivio tacere possit. [6]) Quid autem de conventu sentiam, quem Solo cum Thalete Mileti habuisse fer-

---

Graec. vet. sent. et moral. I. (Lips. 1819) p. 149; Apostol. Cent. XIV. 30 (Paroemiogr. II. p. 614), alii Stratodemo (Aristodemo) Tegeatae (Strato ap. Clem. Alex. Strom. I. 14, § 61, p. 351 Pott.), alii Sodamae (Schol. Eurip. Hippol. 264), Cleobulo denique Auson. Lud. VII. sap. 304, 11.

[1]) Suid. s. v. *Σόλων;* Eudocia 903; Diogenian. Cent. II. 10 (Paroemiogr. II. p. 19); Auson. Lud. VII. sap. Carm. 301, 2 (p. 231 ed. Souch.). Alii vero hoc dictum Apollini, alii Chiloni, alii Bianti, alii aliis adscribunt. Cfr. Clem. Alex. Strom. I. 14, § 60, p. 351 Pott.; Schol. Plat. p. 383 ed. Bekk; Auson. 316, 3 (p. 251 ed. Souch.); Porphyrius ap. Stob. Floril. XXI 26; Schol. Hom. III. 53 (vol. III., p. 161 ed. Dind.); Schol. Lucian. (vol. IV. p. 137 ed. Jacobitz.) Anecd. gr. ed. Bekk. I. p. 233, 13; Anecd. gr. ed. Boissonade vol. I. p. 144; Cod. Vat. DCCXI. fol. 95 (Stob. Floril. ed. Mein.: IV. p. 296. Vide quos praeterea laudant Schneidewin et Leutsch, Paroemiogr. I. p. 391, n. 80; II. p. 19, n. 10; F. Schultz, Phil. XXIV. p. 210 sq.

Plato (Protag. p. 343 b; cfr. Charm. p. 164 e sq.) et Pausanias X. 24, 1 omnes septem sapientes illas duas sententias deo Delphis dedicasse tradunt; Diodorus autem Exc. Vat. fr. 20, p. 19 ed. Dind. (IX. 14 ed. Bekk.) et Plinius (Hist. nat. VII. c. 32) duas illas sententias cum tertia, quae est: „*ἐγγύα, παρὰ δ' ἄτα*“ ab uno Chilone Delphis columnae inscriptas esse dicunt.

[2]) Plut. V. Sol. c. 4; Diog. I. 40; 99. Illius conventus memoriam recolit Plutarchus libro illo, qui inscribitur: *Τῶν ἑπτὰ σοφῶν συμπόσιον.* Cfr. Athen. XI. 8, p. 463 c: *ἐποιοῦντο δὲ καὶ οἱ ἑπτὰ καλούμενοι σοφοὶ συμποτικὰς ὁμιλίας.*

[3]) Plut. Conv. VII. sap. c. 7 (vol. VI. p. 576 ed. R.). Diog. L. I. 40 ita tradit: *Ἀρχέτιμος ὁ Συρακόσιος ὁμιλίαν αὐτῶν* (scil. *τῶν σοφῶν*) *γέγραφε παρὰ Κυψέλῳ, ᾗ καὶ αὐτός φησι περιτυχεῖν,* ubi pro „*παρὰ Κυψέλῳ*“ legendum esse videtur: „*παρὰ Περιάνδρῳ τῷ Κυψέλου*“ Roeper, Philol. III. p. 38.

[4]) Bernhardt, l. l. p. 6 sq., Bohren de sept. sap. p. 65.

[5]) XXXIV. 15.

[6]) Simile responsum a Biante datum esse refert Plut. de garrul. c. 4, p. 503 (vol. VIII. p. 7 R.).

tur, iam supra exposui.[1]) Tradunt etiam nonnulli auctores,[2]) Anacharsim cum Athenas venisset per servum a Solone petiisse, ut secum amicitiam et hospitium faceret et Solone respondente: „Praestat domi amicitias iungere“ ita retorsisse, ut diceret, Solonem esse in patria itaque eum hospites facere oportere. Quam sagacitatem Solonem admiratum illum benigne excepisse et aliquamdiu apud se retinuisse, cum iam ad rem publicam accessisset et leges scriberet. Accuratius Sosicrates[3]) Anacharsim Ol. 47, Eucrate archonte Athenas venisse docet; sed num hoc verum sit, in medio relinquo.[4]) Praeterea Anarcharsis illum laborem Solonis ludibrio habuisse fertur opinantis, iniurias et avaritiam civium se refrenaturum esse legibus scriptis, quae nihil ab aranearum telis differrent; nam sicut istae infirmiora animalia retinerent, validiora transmitterent, ita legibus humiles ac pauperes constringi, divites et praepotentes non alligari. Ad quae Solo respondisse dicitur, homines etiam pacta observare, quae violare neutri parti commodo esset, sicque se leges civibus accommodaturum esse, ut omnibus ostenderet, utilius esse leges servari quam violari.[5]) Sed Diogenes L.[6]) Solonem ipsum leges cum aranearum telis comparasse dicit, Stobaeus[7]) Zaleucum, Tzetzes[8]) Thaletem.

Diodorus in nono libro[9]) narrat, Solonem videndi cupidum, quo loco Myson commoraretur, qui a nonnullis auctoribus inter

---

[1]) Illi duo sapientes etiam Cretam et in Aegyptum simul profecti esse finguntur: Plut. Conv. VII. sap. c. 2, p. 146 E (vol. VI. p. 557 R.); Diog. L. I. 43.

[2]) Hermippus ap. Diog. L. I. 101 sq.; Auctor epistolae, quam Anacharsis Soloni scripsisse fingitur (Epistologr. gr. ed. Hercher p. 103); Plut. V. Sol. c. 5, qui sine dubio hoc loco ex Hermippo hausit; Plutarchum secutus est Tzetzes, Chil. IV. 924 sq.; Cfr. etiam Schol. Plat. p. 420 Bekk.: *οὗτος* (*Ἀνάχαρσις*) *ἐξενώθη ἐν Ἀθήναις Σόλωνι.*

[3]) ap. Diog. L. I. 101.

[4]) Lucianus in dialogo „de Gymnasiis“ Anacharsim post leges a Solone latas Athenas venientem facit. Idem auctor (in Scytha 5) Solonem, quo tempore Anacharsis Athenas venerit, iam „*ὄψει γέροντα*“ fuisse dicit.

[5]) Valer. Max. VII. 2, ext. 14; Plut. l. l.

[6]) I. 58.

[7]) Floril. XLV. 25.

[8]) Chil. V. 354 sq.

[9]) Exc. Vat. fr. 19, p. 19 ed. Dind. (IX., 12 Bekk.).

septem sapientes numeratur,[1]) illum in area manubrium aratro affigentem invenisse. Tunc Solonem ut illum hominem tentaret, dixisse: „Myson, nunc non est tempus aratro“; illum autem respondisse: „Sane non, ut illo utamur, sed ut illud reficiamus“. Sed Diogenes,[2]) qui in vita Mysonis ex eodem fonte ac Diodorus hausisse videtur,[3]) eadem non de Solone sed de Anacharsi narrat. Fieri igitur potuit, ut etiam Diodorus ipse in nono libro illam narrationem de Anacharsi traderet, is vero, qui eum excerpsit, illo loco negligenter verbum „*Σόλων*“ pro verbo „*Σκύθης*“ scripserit.[4])

Ab itineribus Athenas reversus Solo ibi Thespidem tragoedias agentem atque Atheniensium oculos ad se convertentem invenisse traditur. Solo autem cum discendi studio ductus Thespidem ipsum agentem vidisset, post spectaculum ad illum accedens ab eo quaesivisse dicitur, nonne eum puderet, coram tot hominibus tanta mendacia dicere et, cum Thespis respondisset, non turpe esse per ludum mentiri, terra baculo vehementer percussa haec dixisse: „At brevi, qui nunc hunc ludum laudamus et honoramus, in contractibus et negotiis eum adhibitum reperiemus.“[5]) Quae narratio ingenio Solonis, viri probi et tunc senis, accommodatissima quidem est; sed nihilominus mihi ficta esse videtur, quia Suidas[6]) Thespidem Ol. 61 (Ol. 61, 1 = a. a. Chr. n. 536) fabulas docuisse dicit, idemque fere tempus auctor Marm. Par. designat Ep. 43 Thespidem poetam fabulas docentem medium inter Sardes captas et initium regni Darii, Persarum regis, ponens.[7])

Cum Pisistratus vulneratus in forum venisset, Solo dixisse fertur, hunc dolum ex Thespidis ludis pullulasse; Diog. L. I. 59: *ὅτ' οὖν Πεισίστρατος ἑαυτὸν κατέτρωσεν, ἐκεῖθεν μὲν ἔφη ταῦτα*

---

[1]) Plat. Protag. p. 343 a; Diog. L. I. 42; 106.

[2]) I. 106.

[3]) Klueber, l. l. p. 15.

[4]) Dindorff in editione maiore Diodori hoc loco pro Solone Chilonem legendum esse censet.

[5]) Plut. V. Sol. c. 29; Diog. L. I. 59.

[6]) s. v. *Θέσπις*.

[7]) Cfr. tamen E. de Leutsch. Phil. XXXI. p. 139 sq.

φῦναι. Cfr. Plut. V. Sol. c. 30: οὐ καλῶς, ω παῖ Ἱπποκράτους, ὑποκρίνῃ τὸν Ὁμηρικὸν Ὀδυσσέα.

Dignum quod commemoretur etiam hoc mihi esse videtur, Solonem auctorem sententiae dici: „χαλεπὰ τὰ καλά“. Pittacus enim, cum Periandrum crudelem tyrannum factum esse audivisset, tyrannide se abdicasse fertur hac usus sententia: „χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι“. Quod cum Solo audivisset, eum respondisse narrant: „χαλεπὰ τὰ καλά“, quae verba deinde proverbii locum obtinuerint.[1])

A nonnullis veterum auctorum Solo etiam disertus et eloquens

---

[1]) Didymus ap. Schol. Plat p. 369 ed. Bekk., Schol. Plat. p. 394 Bekk.; Hesychius Miles., Suidas, uterque s. v. Χαλεπὰ τὰ καλά; Zenob. Cent. VI. 38 (Paroemiogr. I. p. 172); Gregor. Cypr. III. 30 (ibid. II. p. 89); Apostol. XVIII., 7 (ib. II. p. 717); Macar. VIII., 78 (ib. II. p. 226).

Praeterea aliquot sententiae, quae Soloni tribuuntur, collecta sunt:

1) a Demetrio Phalereo ap. Stob. Floril. III. 79, 2;
2) ab Apollodoro apud Diog. Laert. I. 58—60;
3) in Codice Vaticano 711 fol. 95 (Arsen. Viol. ed. Walz p. 512; Stob. Floril. IV. p. 296 ed. Meineke);
4) in collectione illa sententiarum, quam Aldus Manutius a. p. Chr. n. 1495 cum Theocrito et nonnullis aliis scriptoribus edidit (Opusc. Graec. vet. sentent. et mor. ed. Orelli. I. p. 151; Fragm. philos. graec. ed. Mullach. Paris 1860 p. 216);
5) in codice Bibl. Paris. 1630 p. 187 (Anecdota gr. I. p. 136 sq. ed. Boissonade);
6) denique nuper Mullach. l. l. p. 219—222 ex nonnullorum veterum auctorum operibus nonnulla apophthegmata, quae Soloni adscribuntur, collegit, quibus addi possunt hi loci: Stob. Floril. XLIII., 76; LXVIII., 33; Exc. e. M. S. Floril. Joan. Damasc. II. 13, 77; 139 (Stob. Floril. ed. Meineke IV., p. 199; 226); Floril. Monac. 251; 252 (ibid. p. 288). Cfr. Demosth. or. XXIV. § 241 sq.

Concedo quidem nonnullas illarum sententiarum e Solonis carminibus probabiliter haustas esse; e. gr. haec sententia, quam ap. Diog. L. I. 59 scriptam videmus: „τὸν μὲν κόρον ὑπὸ τοῦ πλούτου γεννᾶσθαι, τὴν δὲ ὕβριν ὑπὸ τοῦ κόρου“ satis congruit cum fragm. Sol. 8. Bergk:

Τίκτει γάρ κόρος ὕβριν, ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται.

Attamen omnes illae sententiae Solonis non esse videntur. Bernhardt, die sieben Weisen Griechenl. p. 5; 11 sq.; Leutsch, die Sprüche der sieben Weisen (Philol. XXX. p. 132 sq.).

dicitur;[1]) Diogenes Laertius[2]) autem refert, Solonem etiam conciones (*δημηγορίας*) scripsisse. Sed si apud veteres re vera „*δημηγορίαι*“ sub Solonis nomine circumferebantur, haud dubium est, quin non minus fictae fuerint, ac eiusdem epistolae, quas Diogenes L. in primo libro memoriae prodidit.[3])

Quanta gloria apud veteres Solo fruitus sit, optime inde colligitur, quod a nonnullis auctoribus in numero clarissimorum et optimorum antiquitatis virorum reponitur[4]) atque interdum temporis definiendi causa memoratur.[5])

In scenam inductus est a Cratino in „Chironibus“,[6]) ab Alexide in „Aesopo“, in qua comoedia poeta Solonem cum Aesopo colloquentem facit, ac probabiliter rem Sardibus actam esse finxe-

---

[1]) Aristid. or. 46 (vol. II. p. 361 Dind.): *καίτοι Σόλων τὰ μὲν εἰς Μεγαρέας ἔχοντα ᾆσαι λέγεται, τοὺς δὲ νόμους οὐκ ᾖδε περιιὼν οὐδὲ τοὺς λόγους τοὺς ὑπὲρ τῶν εὐπόρων πρὸς τὸν δῆμον οὐδὲ τοὺς ὑπὲρ τῶν πολλῶν πρὸς τοὺς πλουσίους οὐκ ᾖδεν, οὐδ᾽ ὅσα ἄλλα ἐπολιτεύετο, οὐκ ᾄδων οὐδ᾽ ἐν μέτροις ἐπολιτεύετο, ἀλλὰ τῷ τῆς ῥητορικῆς τύπῳ καθαρῶς χρώμενος, ἐν οἷς ἅπασι κάλλιστα ἐπέδειξεν, ὅτι τῷ γε ὀρθοτάτῳ τῶν λόγων αὐτὸς ἂν εἴη ῥήτωρ καὶ σοφός.* Cic. Brut. 7, 27; 10, 39; de orat. I. 13, 58; III. 15, 56 Dion. Chrysost. or. 22, p. 274 c; cfr. etiam Aeschin. c. Tim. § 25; Iuvenal. Sat. X. 274.

[2]) I. 61.

[3]) Hiller, Die liter. Thätigk. der 7 Weisen (Rh. Mus. N. F. XXXIII. p. 523) coniicit, Lobonem Argivum illam narrationem finxisse, qua Solo conciones scripsisse dicitur.

[4]) Alcidamas ap. Aristot. Rhet. II. 23; Plat. Conviv. 209 d; Phaedr. 258 b—c; de legibus IX. p. 858 e; Plat. Epist. 2 (Epistologr. gr. ed. Hercher. p. 493); Aeschines c. Ctesiph. § 257; Cic. Tuscul. disp. I. 46, 110; Diod. Sic. XXVI. 1; Plut. de Is. et Osir. c. 10, p. 354 (vol. VII. p. 397 R.); An seni ger. sit resp. p. 805 (vol. IX. p. 213 R.); Isocr. XV. 231 (vol. II. p. 156 ed. Blass.); Dion. Chrysost. or. 22, p. 274; or. 49, p. 538; Niceph. Gregor. Hist. Byzant. VIII. 7., p. 325 ed. Bonn.

A Dione Chrysostomo or. 18, p. 254 Solo *τοῖς τῶν παλαιῶν ἀρίστοις* annumeratur, a Luciano „*θαυμάσιος*“ (Anach. sive de Gymn. 16), a Niceta Chon. (p. 773 ed. Bonn.) „*μεγαλεῖος*“ dicitur.

[5]) Heraclides Pont. ap. Lactant. I. 6, p. 46 ed. Walch; Cic. Brut. 10, 39; Isocr. XII. 148 (vol. II. p. 49 ed. Bl.); Suid. s. v. *Κιγχάνειν;* s. v. *Σιβύλλα.*

[6]) Diog. L. I. 62. Bergk, Comm. de rel. com. Att. ant. p. 135 coniicit, ab eodem auctore Solonem etiam in illa comoedia in scenam inductum esse, quae „*Νόμοι*“ inscribebatur, id quod a vero non abhorrere mihi videtur.

rat,[1]) quia Plutarchus illos viros eo convenisse tradit; Lucianus dialogo, qui incribitur: „Anacharsis sive de gymnasiis“ Solonem cum Anacharsi de ratione atque utilitate exercitationum iuventutis graecae gymnicarum, in libro, qui inscribitur „Charon“ (10—13) cum Croeso de beatitudine et divitiis disputantem facit.[2])

Denique praetermittendum non est, Athenienses Soloni propter multa eius de re publica merita magnamque eius gloriam in foro ante porticum, quae Poecile vocabatur, statuam aeneam posuisse.[3])

---

[1]) Grauert, De Aesopo et fab. Aes. p. 29; 45; Welcker, Kl. Schr. II. p. 251; Erdmannsdoerffer, Das Zeitalter der Nov. l. l. p. 294.

[2]) Plutarchi librum, qui inscribitur: „τῶν ἑπτὰ σοφῶν συμπόσιον“ et Ausonii „Ludum septem sapientium“ iam supra breviter commemoravi, ubi de septem sapientum dictis et conventibus sermo fuit.

[3]) Demosth. c. Aristog. § 23; Paus. I. 16, 1; Aelian. V. H. VIII. 16. Cfr. Wachsmuth, Die Stadt Athen im Alt. I. p. 181. Salaminiae statuae Solonis supra mentionem feci. Faciem marmoream eiusdem sapientis et legislatoris, quae in pinacotheca Florentina conservatur, depictam videmus ap. Viscontium, Iconogr. grecque I. Pl. IX a, eamque ille auctor ita (p. 143) describit: „Le sage y paraît la tête ceinte d'un cordon, symbole d'apothéose, le bout du pallium ou manteau retombe sur l'épaule gauche.“ In duobus aliis hermis illius, quorum inscriptiones adhuc exstant (C. I. Gr. Nr. 6052; 6109), capita iniquitate temporis perdita sunt Illa facies in pinacotheca Florentina conservata differt autem ab imaginibus Solonis, quas in nonnullis gemmis videmus. Fortasse alii veterum artificum, qui Solonem effinxerunt, statuam eius Atheniensem imitati sunt, alii faciem statuae Salaminiae. Quoniam autem certum iudicium hac de re fieri non potest, illis imaginibus, neque ubi de aetate, quam Solo attigerit, egi neque alio loco tamquam fontibus usus sum. Ceterum de vultu illo Solonis, qui in numo aliquo Metropolitano effictus esse a nonnullis (Gronov. thes. ant. graec. II., 31) dicitur, cfr. Eckhel, Doctrina num. vet. I^2. 2 (Vindob. 1839) p. 529.

[illegible]